

CÆREMONIALE EPISCOPORUM



CÆREMONIALE EPISCOPORUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE IOANNIS PAULI PP. II PROMULGATUM



EDITIO TYPICA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXXIV



CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. CD 1300/84.

DECRETUM

Recognitis ex decreto Œcumenici Concilii Vaticani II cunctis fere libris liturgicis, necessarium visum est etiam Cæremoniale Episcoporum ex integro reficere et nova forma edere, ut in ritibus celebrandis Episcopus « sacerdos magnus sui gregis, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet » (*Sacrosanctum Concilium,* n. 41), luculenter appareat atque hoc libro totus ambitus instauratæ liturgiæ congrue præsentetur.

Quod magis elucet si novis normis pastoralibus ac iuridicis de Episcopo a competentibus Sanctæ Sedis Dicasteriis edictis animi attentio ponatur.

Notandum vero quod novum Cæremoniale Episcoporum liber liturgicus stricto sensu haberi nequit, eo quod in celebrationibus liturgicis non adhibetur. Perutile autem erit ipsi Episcopo, diversi gradus ministris necnon magistro cæremoniarum, qui in eo invenient, quæ ab unoquoque eorum in celebrationibus sunt agenda.

Liber hic ritus ab Episcopo peragendos ita proponit, ut tamen traditiones ac exigentiæ locorum propriæ servari possint.

Normæ, de quibus supra, ab Apostolica Sede editæ, necnon normæ ac rubricæ in libris liturgicis iam statutæ, nisi in

hoc libro corrigantur, eandem vim obligandi retinent. Ceteræ normæ ponuntur ad securius obtinendam episcopalem liturgiam, quæ sit vera, simplex, clara, dignitate pastoralique efficacitate plena, quatenus spiritualis unitas potius foveatur inutilesque singularitates iugiter vitentur.

Novum Cæremoniale Episcoporum, a Congregatione pro Cultu Divino apparatum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascriptis Pro-Præfecto et Secretario eiusdem Congregationis, die 7 septembris 1984 concessa, auctoritate Sua approbavit evulgarique iussit.

Quapropter hæc Congregatio, de mandato Summi Pontificis, novum *Cæremoniale Episcoporum* publici iuris facit, statuens ut, statim ac prodierit, in locum præcedentis Cæremonialis Episcoporum, vigere incipiat.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis pro Cultu Divino, die 14 septembris 1984, in festo Exaltationis Sanctæ Crucis.

✠ AUGUSTINUS MAYER, osb
Archiep. tit. Satrianensis
Pro-Præfectus

✠ VERGILIUS NOÈ
Archiep. tit. Voncariensis
a Secretis

PROŒMIUM

1. De historia libri Cæremonialis Episcoporum

Cæremoniale Episcoporum, quod in usu habebatur usque ad hodiernam ætatem, edidit Summus Pontifex Clemens VIII, anno 1600. Hæc tamen editio non erat nisi recognitio et emendatio, secundum mentem instaurationis Tridentinæ, operis iam a longo tempore probati.

Etenim Cæremoniale Episcoporum « Ordinibus Romanis » successit, qui ab exeunte sæculo septimo, normas actionum liturgicarum Romanorum Pontificum tradiderunt. Inter huiusmodi Ordines, is qui numero decimo tertio in « Museo italico » Ioannis Mabillon insignitur, Beato Gregorio X (1271-1276) iubente editus circa annum 1273 in Concilio Lugdunensi secundo (1274), titulo « Cæremoniale Episcoporum » minime ornabatur: sed in eo describebantur cæremoniæ ad eligendum et ordinandum Papam, necnon indicationes de Missa papali et celebrationibus per anni circulum.

Quadraginta fere post annos, Ordo Romanus, qui XIV inscribitur, circa annos a 1314 ad 1320 sub nomine Cardinalis Iacobi Caietani Stefaneschi paratus et postea, circa annum 1341 vulgatus, sacras actiones in electione, coronatione Summi Pontificis, necnon occasione præsertim Concilii Generalis, Canonizationis, Imperatorum et Regum incoronationis occurrentes describebat.

Necnon idem liber sub Benedicto XII (1334-1342) et Clemente VI (1342-1352) prodiit multum auctus, alio etiam sup-

plemento sub Beato Urbano V (1362-1370) de morte Summi Pontificis et de statu Cardinalium addito.

Ordo, qui secundum numerationem Ioannis Mabillon XV indicatur, seu « Liber de Cærimoniis Ecclesiæ Romanæ » a Patriarcha Petro Ameil, vergente sæculo XIV sub Urbano VI (1378-1389) confectus et deinde a Petro Assalbit Episcopo Olorensi aliquali additione sub Martino V (1417-1431) munitus, pariter cum manuscriptis libris Avenionensibus ac sub nomine « Liber Cæremoniarum Sacræ Romanæ Ecclesiæ », Curiæ papali inserviebat, quousque, iubente Innocentio VIII (1484-1492), Augustinus Patrizi, episcopus Pientinus et Ilcinensis, novum Cæremoniale anno 1488 finiret. Qui liber, stilo mutato, a Christophoro Marcello, archiepiscopo electo Corfirensi, editus est Venetiis anno 1516: « Rituum ecclesiasticarum sive sacrarum Cærimoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ libri tres non ante impressi », nostris quoque diebus, in cæremoniis Romani Pontificis usui remansit.

Ex Cæremoniali libro temporis antecedentis, Paris de Grassi, cæremoniarius maior Iulii Papæ II (1503-1513), non tantum Ordinem Romanum pro liturgia papali excerpsit, sed et composuit opus cui titulus postea anno 1564 datus est « De Cæremoniis Cardinalium et Episcoporum in eorum diœcesibus libri duo », quo liturgiæ papali liturgiam aliquam episcopalem, et quidem Bononiensem, accommodavit.

Die 15 mensis decembris anno 1582 Gregorius XIII (1572-1585) commissionem instituit, quæ, Congregationem pro sacris Ritibus et Cæremoniis præcedens, præside Cardinali Gabriele Paleotti, prædictum Paridis Librum Cæremoniarum pro Cardinalibus et Episcopis emendaret. Hanc renovationem Gregorio XIII suggesserat, eandemque animavit, sanctus Carolus Borromeo, tunc temporis Romæ degens. Eo vero defuncto anno 1584, labores huius commissionis cessaverunt.

Sixtus V (1585-1590) non tantum Congregationem pro sacris Ritibus et Cæremoniis eo fine instituit die 22 ianuarii 1588, ut libros liturgicos emendaret, sed iam die 19 martii 1586 multos codices ex Bibliotheca Vaticana sibi apportari iussit, ut novam observantiam sacrorum rituum ipse elaboraret. Quo quidem exitu ignoratur.

Tandem, die 14 iulii 1600, Clemens VIII (1592-1605), edens Cæremoniale Episcoporum, opus instaurationis huius libri libere utens non tam scriptis Augustini et Paridis quam, ut videtur aliis aliisque hodie incognitis, complevit, agentibus, tunc temporis, in Sacra Rituum Congregatione Cardinalibus Cæsare Baronio, sancto Roberto Bellarmino, Silvio Antoniano, viris sanctitate et scientia illustribus. Bulla ergo introductoria numquam de novo libro, sed iugiter de emendatione Cæremonialis Episcoporum, libri omnibus noti, loquitur.

At, iam die 30 iulii 1650 Innocentius X (1644-1655) novam Cæremonialis Episcoporum editionem emendatam et recognitam publici iuris fecit, quam sæculo fere exacto, Benedictus XIII (1724-1730), pro suo erga sacros ritus studio, die 7 martii 1727, iterum evulgavit, emendatis quibusdam rebus obscuris et ambiguis aut inter se pugnantibus. Denique decem et quinque post annos, die 25 martii 1742, Benedictus XIV (1740-1758), olim Officialis Sacræ Rituum Congregationis, Cæremonialis editionem iteravit, addens librum III de iis quæ conveniebant Statui Romano Ecclesiastico, laudibus etiam extollens methodum scholæ liturgicæ, quæ tunc erat in Gregoriano Collegio Romano Societatis Iesu.

Novissime Leo XIII (1878-1903), anno 1886, novam editionem typicam Cæremonialis Episcoporum publicari iussit, conservato ex integro libro III, etsi nullius iam foret momenti, Statu Ecclesiastico iam suppresso, seu ad Civitatem Vaticanam reducto.

Demum Concilium Œcumenicum Vaticanum II omnes ri-

tus et libros sacros instaurari iussit, et ita etiam Cæremoniale Episcoporum, ex integro reficere et nova forma edere, necesse fuit.

2. De valore libri Cæremonialis Episcoporum

Summi Pontifices, qui Cæremonialis Episcoporum editiones promulgaverunt, librum quidem ab omnibus perpetuo servandum esse edixerunt, antiqua tamen cæremonialia spiritui prædicti Cæremonialis conformia abolere aut abrogare noluerunt.

Liber iste, Concilii Vaticani II normis aptatus, locum tenet præcedentis Cæremonialis, quod deinceps omnino abrogatum erit censendum, et ita redactus est ut opportune servarentur consuetudines ac locales traditiones, quibus unaquæque particularis Ecclesia tamquam proprio thesauro fruitur, futuris generationibus transmittendo, dummodo liturgiæ ex decreto Concilii Vaticani II instauratæ conformes reddantur.

Liturgicarum legum pars maior, quas novum præbet Cæremoniale, vim obligandi retinet ex libris liturgicis iam editis. Si quid autem in novo Cæremoniali variatum invenitur, tale erit exsequendum modo in ipso Cæremoniali indicato.

Ceteræ normæ hoc in Cæremoniali ponuntur ad obtinendam episcopalem liturgiam, quæ sit simplex ac simul nobilis, pastoralique efficacitate plena, ita ut in exemplum evadere possit pro ceteris omnibus celebrationibus.

Ut autem hæc pastoralis intentio ad exitum facilius adducatur, liber iste redactus est ut Episcopus aliique ministri et præsertim cæremoniarum magistri in eo invenire valeant, quæ sunt necessaria ut liturgicæ celebrationes, quibus Episcopus præest, non merus cæremoniarum apparatus sed, iuxta mentem Concilii Vaticani II, præcipua Ecclesiæ particularis manifestatio habeantur.

PARS I

DE LITURGIA EPISCOPALI IN GENERE

CAPUT I

DE INDOLE ET MOMENTO LITURGIÆ EPISCOPALIS

I. DE ECCLESIÆ PARTICULARIS DIGNITATE

1. « Diœcesis est populi Dei portio, quæ Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhærens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur una, sancta, catholica et apostolica Christi Ecclesia ».[1] Immo in ea præsens est Christus cuius virtute consociatur Ecclesia.[2] Recte dixerat S. Ignatius: « Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia ».[3]

2. Competit proinde Ecclesiæ particulari dignitas Ecclesiæ Christi. Non est enim cœtus hominum quorundam qui sponte sua conveniunt ad commune aliquod opus, sed donum desursum a Patre luminum descendens. Neque consideranda est ut mere administrativa populi Dei divisio, quia ipsa suo modo continet et manifestat naturam Ecclesiæ universalis, quæ e latere Christi crucifixi profluit, Eucharistia continuo vivit et crescit, Christo iugata, fidelium mater; est « loco suo Populus novus a Deo vocatus, in Spiritu Sancto et in plenitudine multa ».[4]

3. Nulla vero est legitima fidelium congregatio, nec altaris communitas nisi sub Episcopi sacro ministerio.[5] Huiusmodi autem Ecclesiæ particularis congregatio diffunditur et vivit in singulis fidelium cœtibus quibus Episcopus presbyteros suos præficit, ut sub auctoritate eius portionem gregis dominici sibi addictam sanctificent et regant.[6]

4. Et sicut Ecclesia universalis adest et manifestatur in Ecclesia particulari,[7] ita Ecclesiæ particulares propria sua dona ceteris par-

[1] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 11; cf. Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 23.
[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.
[3] S. Ignatius Antiochenus, *Ad Smyrnæos*, 8, 2: ed. Funk I, p. 283.
[4] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.
[5] Cf. *ibidem*, n. 26.
[6] Cf. *ibidem*, nn. 26, 28; Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.
[7] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 23.

tibus et toti Ecclesiæ afferunt, «ut totum et singulæ partes augeantur ex omnibus invicem communicantibus et ad plenitudinem in unitate conspirantibus ».[8]

II. De Episcopo fundamento et signo communionis in Ecclesia particulari

5. Ecclesiam particularem, ut vicarius et legatus Christi, regit Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, in communione et sub auctoritate Romani Pontificis.[9]

Episcopi enim, « positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum succedunt ut animarum pastores, ... Christus enim Apostolis eorumque successoribus dedit mandatum atque potestatem ut docerent omnes gentes, hominesque sanctificarent in veritate atque pascerent. Episcopi itaque, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, veri et authentici effecti sunt fidei magistri, pontifices ac pastores ».[10]

6. Per Evangelii prædicationem, Episcopus homines in Spiritus fortitudine ad fidem vocat aut in fide viva confirmat, integrumque Christi mysterium ipsis proponit.[11]

7. Per sacramenta, quorum regularem et fructuosam celebrationem auctoritate sua ordinat, Episcopus fideles sanctificat. Ipse regit collationem Baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur. Ipse est minister originarius Confirmationis, dispensator Sacrorum Ordinum, et moderator disciplinæ pænitentialis. Ab eo dirigitur omnis legitima Eucharistiæ celebratio, qua continuo vivit et crescit Ecclesia. Populum suum, ut in liturgia et præsertim in sacro Missæ sacrificio partem suam fide et reverentia impleat, sollicite exhortatur et instruit.[12]

8. In Episcopo, cui presbyteri assistunt, adest in medio credentium Dominus Iesus Christus, Pontifex Summus. Sedens enim ad dexteram Patris, non deest a suorum congregatione pontificum, qui, ad pascendum dominicum gregem electi, ministri Christi sunt et dispensatores mysteriorum Dei.[13] Ergo « Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet ».[14]

[8] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 13.
[9] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, nn. 26, 27; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 3.
[10] Conc. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 2.
[11] Cf. *ibidem*, n. 12.
[12] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 15.
[13] Cf. *ibidem*, n. 21.
[14] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.

9. Episcopus enim est « œconomus gratiæ supremi sacerdotii »[15] et ab ipso in exercenda sua potestate pendent tum presbyteri, qui quidem, ut ordinis episcopalis providi sint cooperatores, et ipsi consecrati sunt veri Novi Testamenti sacerdotes, tum diaconi, qui ad ministerium ordinati populo Dei in communione cum Episcopo eiusque presbyterio inserviunt; ipse itaque Episcopus præcipuus est dispensator mysteriorum Dei, sicut et totius vitæ liturgicæ in Ecclesia sibi commissa moderator, promotor atque custos.[16] Ipsi namque « officium commissum est cultum christianæ religionis divinæ maiestati deferendi atque administrandi secundum præcepta Domini et Ecclesiæ leges, eius particulari iudicio ulterius pro sua diœcesi determinatas ».[17]

10. Episcopus Ecclesiam particularem sibi commissam regit consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate et sacra potestate, quam per ordinationem episcopalem accepit[18] et qua ad gregem suum in veritate et sanctitate ædificandum utitur. « Fideles autem Episcopo adhærere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant, et abundent in gloriam Dei ».[19]

III. De momento liturgiæ episcopalis

11. Munus Episcopi, ut Ecclesiæ suæ doctoris, sanctificatoris et pastoris, præcipue emicat in sacræ liturgiæ celebratione, quam cum populo peragit.

« Quare omnes vitam liturgicam diœceseos circa Episcopum, præsertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes præcipuam manifestationem Ecclesiæ haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctæ Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, præsertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui præest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus ».[20]

12. Sacræ ergo celebrationes, quibus Episcopus præest, manifestant mysterium Ecclesiæ cui Christus præsens adest; non sunt igitur merus apparatus cæremoniarum.

[15] Oratio ordinationis episcopalis, in ritu byzantino: *Euchologion to mega*, Romæ, 1873, p. 139; Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.
[16] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 15.
[17] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.
[18] Cf. *ibidem*, n. 21; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 3.
[19] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 27.
[20] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.

Præterea eædem celebrationes exemplar sint oportet toti diœcesi, et actuosa participatione populi eluceant. Itaque communitas congregata cantu, dialogo, sacro silentio, interna attentione et sacramentali participatione in iis partem habeat.

13. Statutis ergo temporibus præcipuisque anni liturgici diebus prævideatur hæc plena manifestatio Ecclesiæ particularis cui invitentur populus ex diversis diœcesis partibus conveniens atque, quantum fieri poterit, presbyteri. Quo autem fideles et presbyteri facilius undique convenire possint, adunatio aliquoties indicetur in diversas partes diœcesis.

14. In istis adunationibus dilatetur caritas fidelium ad universam Ecclesiam, et excitetur in eis fervidius servitium Evangelii et hominum.

IV. De munere prædicationis ab Episcopo implendo

15. Inter præcipua Episcopi munera eminet prædicatio Evangelii. Episcopus enim est fidei præco, qui novos discipulos ad Christum adducit, et doctor authenticus seu auctoritate Christi præditus, qui populo sibi commisso fidem credendam et moribus applicandam prædicat, et sub lumine Sancti Spiritus illustrat, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferens, eam fructificare facit erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcet.[21]

Quod munus Episcopus etiam in sacra liturgia implet, cum homiliam facit intra Missam, in celebrationibus verbi Dei et, pro opportunitate, in Laudibus et Vesperis, necnon cum catechesim habet et admonitiones profert in sacramentorum et sacramentalium celebratione.

16. Hæc prædicatio « imprimis ex fonte Sacræ Scripturæ et liturgiæ hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis præsens semper adest atque operatur, præsertim in celebrationibus liturgicis ».[22]

17. Cum prædicatio ita proprium munus sit Episcopi, ut nonnisi vice sua alii ministri sacri illud exerceant, est Episcopi præsidentis actioni liturgicæ per se ipsum homiliam facere. Episcopus prædicet sedens in cathedra cum mitra et baculo, nisi ipsi aliter videatur.

[21] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 25.
[22] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 35.

CAPUT II

DE OFFICIIS ET MINISTERIIS IN LITURGIA EPISCOPALI

18. « In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio » congregata, exhibetur « symbolum illius caritatis et unitatis Corporis mystici, sine qua non potest esse salus ».[23]

Maxime proinde convenit, ut quando Episcopus alicui actioni liturgicæ interest, ubi populus est congregatus, ipse, utpote plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, celebrationi præsit. Quod fit non ad sollemnitatem exteriorem ritus augendam, sed ad significandum vividiore luce mysterium Ecclesiæ.

Decet etiam Episcopum presbyteros sibi in celebratione consociare.

Si vero Episcopus Eucharistiæ præsideat quin celebret, ipse liturgiam verbi moderetur et Missam ritu dimissionis concludat,[24] secundum normas infra datas nn. 176-185.

19. In cœtu, qui ad liturgiam celebrandam congregatur, præsertim quando præest Episcopus, unusquisque ius habet et officium partem suam præbendi diverso modo pro diversitate ordinis et muneris. Omnes itaque sive ministri sive fideles, munere suo fungentes, solum et totum id agant, quod ad ipsos pertinet.[25] Hac ratione manifestatur Ecclesia, in suis diversis ordinibus et ministeriis, ut corpus, cuius singula membra unum constituunt.[26]

De presbyteris

20. Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopo pendeant, cum eo tamen sacerdotali honore coniuncti sunt.

Ipsi ordinis episcopalis providi cooperatores eiusque adiutorium et organum, ad populo Dei inserviendum vocati, unum presbyterium cum suo Episcopo constituunt, atque sub ipsius auctoritate portionem gregis dominici sibi addictam sanctificant et regunt.[27]

21. Valde proinde commendatur ut in celebrationibus liturgicis Episcopus habeat presbyteros, qui ei assistant. Immo in celebratione eucharistica cui præest Episcopus, presbyteri cum ipso concelebrent,

[23] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.

[24] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus*, 21 iunii 1968, n. 24: A.A.S. 60 (1968), p. 410.

[25] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 28.

[26] Cf. *ibidem*, n. 26.

[27] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.

ut mysterium unitatis Ecclesiæ per Eucharistiam manifestetur et ipsi tamquam presbyterium Episcopi coram communitate appareant.

22. Presbyteri, qui celebrationes episcopales participant, id solum quod ad presbyteros spectat agant; [28] absentibus vero diaconis, aliqua diaconorum ministeria suppleant, numquam tamen vestibus diaconalibus induti.

De diaconis

23. Inter ministros primum locum tenent diaconi, quorum ordo iam a primis temporibus Ecclesiæ magno honore habitus est. Diaconi, viri boni testimonii et sapientia pleni,[29] sic agere debent, Deo adiuvante, ut vere discipuli illius cognoscantur,[30] qui non venit ministrari sed ministrare [31] et fuit in medio discipulorum suorum ut qui ministrat.[32]

24. Spiritus Sancti dono roborati, Episcopo eiusque presbyterio adiumentum præstant in ministerio verbi, altaris et caritatis. Altaris ministri effecti, Evangelium nuntiant, sacrificii celebrationi inserviunt, Corpus et Sanguinem Domini partiuntur.

Diaconi ergo habeant Episcopum uti patrem et ei præstent adiumentum uti ipsi Domino Iesu Christo, Pontifici in æternum, præsenti in medio populi sui.

25. Diaconi est in actionibus liturgicis: celebranti assistere; ad altare, sive ad librum sive ad calicem, ministrare; fidelium cœtum per opportunas monitiones dirigere; intentiones orationis universalis enuntiare.

Si vero nullus alius minister adsit, ipse aliorum munera pro necessitate adimplet.[33]

Sicubi altare non est versus populum, diaconus semper se vertere debet ad populum cum monitiones profert.

26. Diaconi, in celebratione liturgica cui præest Episcopus, sint de more saltem tres, unus qui ad Evangelium et ad altare ministret, duo qui Episcopo assistant. Si plures sunt, ministeria inter se distribuant [34] et saltem unus eorum curam habeat de actuosa participatione fidelium.

[28] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 28.
[29] Cf. Act 6, 3.
[30] Cf. Io 13, 35.
[31] Cf. Mt 20, 28.
[32] Cf. Lc 22, 27.
[33] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 71, 127.
[34] Cf. *ibidem*, n. 71.

De acolythis

27. Acolythus, in ministerio altaris, partes proprias habet, quas ipse exercere debet, etsi ministri ordinis superioris adsint.

28. Acolythus enim instituitur, ut diaconum adiuvet et sacerdoti ministret. Eius igitur est servitium altaris curare, diacono atque sacerdoti opitulari in liturgicis actionibus, præsertim in Missæ celebratione; eiusdem præterea est, qua ministri extraordinarii, sanctam Communionem distribuere ad normam iuris.

Ipse cum opus fuerit instruat eos, qui in actionibus liturgicis ministrant sive librum, crucem, cereos, turibulum deferendo sive alia huiusmodi officia exercendo. Nihilominus in celebrationibus, quibus Episcopus præest, decet acolythos rite institutos ministrare atque, si plures sint, ministeria inter se distribuere.[35]

29. Quo dignius munera sua exsequatur, acolythus sanctam Eucharistiam flagrantiore in dies pietate participet, de ipsa enutriatur eiusque altiorem cognitionem adipiscatur. Eorum autem quæ agit intimum ac spiritalem sensum percipere studeat, ita ut cotidie se totum offerat Deo, et in id ducatur, ut Christi Corpus mysticum seu populum Dei, præsertim vero debiles et infirmos, sincero amore prosequatur.

De lectoribus

30. Lector proprium munus in celebratione liturgica habet, quod ipse per se exercere debet, quamvis ministri adsint ordinis superioris.[36]

31. Lector, qui inter ministros inferiores historice primus apparet, et in omnibus Ecclesiis invenitur et semper est servatus, ad munus instituitur, quod est ei proprium, legendi in cœtu liturgico verbum Dei. Quapropter in Missa et in aliis sacris actionibus lectiones, excepto Evangelio, profert; deficiente psalmista, psalmum inter lectiones recitat; deficiente diacono, intentiones orationis universalis enuntiat.

Curet insuper, quatenus opus sit, fideles præparare, qui in actionibus liturgicis Sacram Scripturam legere possunt. Nihilominus, in celebrationibus, quibus Episcopus præest, decet lectores rite institutos legere atque, si plures sint, lectiones inter se distribuere.[37]

[35] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam*, 15 augusti 1972, n. VI: A.A.S. 64 (1972), p. 532.

[36] Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 66.

[37] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam*, 15 augusti 1972, n. V: A.A.S. 64 (1972), p. 532; Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda* nn. 51-55; Liturgia Horarum, *Institutio generalis*, n. 259.

32. Memor dignitatis verbi Dei et momenti sui officii, modum bene dicendi et pronuntiandi assidue curet, ut verbum Dei a participantibus clare percipiatur.

Cum vero aliis verbum divinum annuntiat, docilis et ipse illud suscipiat, sedulusque meditetur, ut illud conversatione sua testetur.

De psalmista

33. Cum cantus, qui inter lectiones inveniuntur, magnum momentum liturgicum et pastorale præ se ferant, expedit in celebrationibus, quibus Episcopus præest, præsertim in ecclesia cathedrali, haberi psalmistam seu cantorem psalmi, arte psallendi et spiritali aptitudine præditum, qui modo responsoriali vel directo psalmum, vel aliud canticum biblicum, necnon graduale et « Alleluia » cantet, ita ut fideles, ad cantum et ad textuum sensum meditandum, opportunum adiutorium inveniant.[38]

De cæremoniarum magistro

34. Celebratio, illa præsertim cui præest Episcopus, ut decore, simplicitate et ordine fulgeat, indiget magistro cæremoniarum, qui eam præparet et dirigat, intime cooperans cum Episcopo aliisque qui officium habent eius partes ordinandi, præsertim sub respectu pastorali.

Cæremoniarum magister vere peritus esse debet in sacra liturgia, eius historia et indole, eiusque legibus et præceptis; sed pariter versatus esse debet in re pastorali, ut sciat, quomodo sacræ celebrationes ordinandæ sint cum ad fovendam fructuosam participationem populi, tum ad earum decorem promovendum.

Leges sacrarum celebrationum curet servandas, iuxta verum ipsarum spiritum, atque legitimas traditiones Ecclesiæ particularis, quæ utilitati pastorali prosint.

35. Cum cantoribus, assistentibus, ministrantibus, celebrantibus, ea quæ facienda et dicenda sunt, tempore opportuno coordinet; intra vero celebrationem discretione quam maxima agat; ne loquatur superflua; ne locum diaconorum et assistentium ad latus celebrantis occupet, omnia denique exerceat cum pietate, patientia, sedulitate.

36. Cæremoniarum magister induitur alba vel veste talari et superpelliceo. Si fortasse in ordine diaconatus sit constitutus, induere potest, intra celebrationem, dalmatica et ceteris ordinis sui vestimentis.

[38] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda* nn. 19-20, 56.

De sacrista

37. Una cum cæremoniarum magistro, ipsi tamen secundus, sacrista celebrationes Episcopi præparat. Sacrista libros ad verbum Dei proclamandum et orationes proferendas, paramenta et alia, quæ in celebratione sunt necessaria, diligenter disponat. In sonum campanarum pro sacris celebrationibus invigilet. Silentium et modestiam in sacristia et secretario observare curet. Supellex, quæ e traditione locali servatur, ne despiciatur, sed optima condicione sustentetur. Quæ vero noviter providenda est, secundum præcepta artis contemporaneæ seligatur, posthabito tamen meræ novitatis studio.

38. Ad ornatum loci sacræ celebrationis pertinet imprimis mundities expolita in pavimento, in parietibus et in omnibus figuris et rebus, qui usui veniunt vel aspectui proponuntur. Cum omnis sumptuositas tum avaritia ornatus vitetur; at nobilis vero simplicitatis, urbanitatis, præclaræ artis leges serventur. Ingenium populorum et traditio loci ea quæ sunt adhibenda et quomodo sint ordinanda indicent, « dummodo sacris ædibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore »[39] inserviant.

Talis sit ecclesiæ ornatus, ut erga Deum videatur signum amoris et reverentiæ; populo vero Dei suggerat indolem festorum propriam atque cordis lætitiam et pietatem.

De schola et musicis artificibus

39. Omnes qui peculiari modo cantum et musicam sacram participant sive magister chori, sive cantores, sive organista, sive alii, sedulo observent ea quæ de eorum muneribus præscribuntur in libris liturgicis et aliis documentis a Sede Apostolica latis.[40]

40. Musici artifices præ oculis habeant normas præsertim circa participationem populi in cantu. Præterea invigilandum est ut cantus indolem universalem manifestet celebrationum quibus præest Episcopus; ideoque christifideles partes ordinarii Missæ, quæ ad ipsos spectant, non solum lingua vernacula, sed etiam lingua latina simul dicere vel cantare valeant.

[39] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 123.

[40] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, præsertim nn. 12, 19, 22, 63, 64, 272, 274, 275, 313, 324; Ordo Cantus Missæ, *Prænotanda;* Liturgia Horarum, *Institutio generalis*, nn. 268-284; Rituale Romanum, De Initiatione christiana, *Prænotanda generalia*, n. 33; De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, nn. 12, 104; Ordo Pænitentiæ, nn. 24, 36; Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, n. 38, d; Ordo Exsequiarum, n. 12; Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967: A.A.S. 69 (1967) pp. 300-320; S. Congr. pro Episcopis, Directorium de pastorali ministerio Episcoporum, 1973, n. 90, d.

41. A feria IV Cinerum usque ad hymnum *Glória in excélsis* in Vigilia paschali, et in celebrationibus defunctorum, sonus organi aliorumque instrumentorum reservetur tantum ad cantum sustentandum.[41] Excipiuntur tamen dominica *Lætáre* (IV Quadragesimæ) atque sollemnitates et festa.

Ab expleto vero hymno *Glória in excélsis* Missæ in Cena Domini usque ad eundem hymnum in Vigilia paschali, organum aliaque musica instrumenta solum ad cantum sustentandum adhibeantur.

Tempore autem Adventus musica instrumenta ea moderatione adhibeantur, quæ indoli iucundæ exspectationis huius temporis conveniat, quin tamen plena lætitia Nativitatis Domini præveniatur.

[41] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram,* 5 martii 1967, n. 66: A.A.S. 69 (1967) p. 319.

CAPUT III

DE ECCLESIA CATHEDRALI

42. Ecclesia cathedralis ea est in qua Episcopi cathedra sita est, signum magisterii potestatisque pastoris Ecclesiæ particularis necnon signum unitatis credentium in ea fide, quam Episcopus, tamquam gregis pastor, annuntiat.

In ea, diebus sollemnioribus, Episcopus liturgiæ præest, et, nisi adiuncta pastoralia aliud suadeant, sacrum chrisma conficit, et sacras ordinationes peragit.

43. Ecclesia cathedralis « ob exstructæ molis maiestatem, spiritalis illius templi index est, quod intus in animis ædificatur ac divinæ gratiæ magnificentia nitet, ex ea Pauli Apostoli sententia: « Vos enim estis templum Dei vivi » (2 Cor 6, 16). Deinde expressa imago est ducenda aspectabilis Christi Ecclesiæ, quæ in terrarum orbe et precatur et canit et adorat; est nimirum imago putanda mystici eius Corporis, cuius membra in una conglutinantur caritatis compage, supernorum donorum roratione nutrita ».[42]

44. Proinde ecclesia cathedralis centrum vitæ liturgicæ diœcesis merito haberi debet.

45. Amor ac veneratio erga ecclesiam cathedralem animis fidelium inculcetur formis opportunioribus. Valde ad hoc confert annua celebratio eius dedicationis, necnon peregrinationes, quas fideles, præsertim per parœcias aut diœcesis regiones distributi, ad eam pie visitandam suscipient.

46. Quæ in documentis et libris liturgicis, de ecclesiarum dispositione ac ornatu præscribuntur, cathedralis ecclesia modo exemplari aliis diœcesis ecclesiis ostendat.[43]

47. *Cathedra*, de qua supra n. 42 unica sit et fixa, ita collocata ut Episcopus revera universæ fidelium communitati præesse videatur.

Numerus graduum cathedræ, iuxta uniuscuiusque ecclesiæ structuram, ita aptetur, ut Episcopus a fidelibus bene conspici possit.

Baldachinum cathedræ ne superponatur; attamen sedula cura serventur pretiosa opera a sæculis tradita.

[42] Paulus VI, Const. Apost. *Mirificus eventus*, 7 decembris 1965: A.A.S. 57 (1965), pp. 948-949.

[43] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 253-312; Ordo Lectionum Missæ *Prænotanda*, nn. 32-34; Pontificale Romanum, Ordo Dedicationis ecclesiæ et altaris, cap. II, n. 3; cap. IV, nn. 6-11; Rituale Romanum, De Sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, *Prænotanda generalia*, nn. 9-11.

Exceptis casibus a iure prævisis in cathedra sedet Episcopus diœcesanus vel Episcopus cui ipse hoc concesserit.[44] Ceteris vero Episcopis vel Prælatis forte præsentibus sedes paretur, loco convenienti, quæ tamen non sit ad modum cathedræ erecta.[45]

Sedes pro presbytero celebrante diverso loco paretur.

48. *Altare* ad normam iuris exstruatur et ornetur. Præsertim attendendum est ut eum occupet locum qui revera centrum sit ad quod totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur.[46]

Altare ecclesiæ cathedralis de more fixum sit et dedicatum, a pariete seiunctum, ut facile circumiri et in eo celebratio versus populum peragi possit.[47] Attamen quando altare antiquum ita situm est, ut difficilem reddat participationem populi nec transferri possit sine detrimento valoris artis, aliud altare fixum, arte confectum et rite dedicatum, exstruatur; et tantum super illud sacræ celebrationes peragantur.

Altare floribus ne ornetur a feria IV Cinerum usque ad hymnum *Glória in excélsis* Vigiliæ paschalis et in celebrationibus defunctorum. Excipiuntur tamen dominica *Lætáre* (IV Quadragesimæ) atque sollemnitates et festa.

49. Commendatur ut *tabernaculum*, iuxta perantiquam traditionem in ecclesiis cathedralibus servatam, ponatur in sacello a centrali aula seiuncto.[48]

Si tamen in casu particulari tabernaculum sit super altare in quo Episcopus celebraturus est, Ss.mum Sacramentum ad alium dignum locum transferatur.

50. *Presbyterium,* idest locus ubi Episcopus, presbyteri et ministri ministerium suum exercent, ab aula ecclesiæ opportune distinguatur, aut per aliquam elevationem aut per peculiarem structuram et ornatum, ita ut munus hierarchicum ministrorum ipsa sua dispositione ostendat. Talis amplitudinis sit, ut sacri ritus commode peragi et conspici possint.

In presbyterio sedes vel scamna vel scabella ita congrue disponantur, ut concelebrantibus, canonicis et presbyteris qui forte non concelebrent sed habitu chorali assistant, necnon ministris suus cuique locus paretur, et foveatur recta uniuscuiusque functio muneris.

[44] Cf C I C , can 436 § 3, infra nn 1171 et 1176

[45] Cf S Congr Rituum, Instr de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus*, 21 iunii 1968, nn 10-13 A A S 60 (1968), pp 408 409

[46] Cf Missale Romanum, *Institutio generalis*, n 262

[47] *Ibidem*, n 262

[48] Cf S Congr Rituum, Instr de cultu mysterii eucharistici, *Eucharisticum Mysterium*, 25 mai 1967, n 53 A A S 59 (1967), p 568, Rituale Romanum, De Sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, *Prænotanda generalia*, n 9.

Quivis minister qui non sit veste sacra aut talari et superpelliceo aut alia veste legitime probata indutus, ne intret in presbyterium intra sacras celebrationes.[49]

51. *Ambonem* ecclesia cathedralis habeat secundum normas vigentes exstructum.[50] Attamen Episcopus e cathedra sua populum Dei alloquatur, nisi condicio loci aliud suadeat.

Cantor, commentator aut chori moderator de more ambonem ne ascendant, sed ex alio loco apto suum munus adimpleant.

52. *Baptisterium* ecclesia cathedralis habeat, etiamsi parœcialis non sit, saltem ad Baptismum nocte paschali celebrandum. Hoc baptisterium instruatur secundum normas in Rituali Romano datas.[51]

53. *Secretarium* cathedrali ecclesiæ ne desit, scilicet aula digna, quantum fieri potest ecclesiæ ingressui proxima, in qua Episcopus, concelebrantes et ministri vestimenta liturgica induant et ex qua processio introitus initium sumat.

Sit de more sacristia distincta a secretario, in qua servatur sacra supellex et in qua diebus ordinariis celebrans et ministri se præparare possint ad celebrationem.

54. Ut *collecta* fieri queat, prævideatur, quantum potest, prope ecclesiam cathedralem, alia ecclesia vel apta aula, aut platea, vel claustrum, ubi fiant benedictiones candelarum, ramorum, ignis, aliæque celebrationes præparatoriæ et unde initium sumant processiones ad ecclesiam cathedralem.

[49] Cf infra nn 65-67, cf Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda*, n 54

[50] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n 272, Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda*, nn 32-34

[51] Cf Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum. De Initiatione christiana, *Prænotanda generalia*, n. 25.

CAPUT IV

DE QUIBUSDAM NORMIS GENERALIORIBUS

PRÆNOTANDA

55. Docente Concilio Vaticano II, curandum est ut ritus nobili simplicitate fulgeant.[52] Quod certo valet quoque de liturgia episcopali, quamvis in ea neglegenda non sit pietas et reverentia quæ debetur Episcopo, in quo præsens adest Dominus Iesus in medio credentium et a quo, utpote magno sacerdote, vita fidelium quodammodo derivatur et pendet.[53]

Præterea, cum celebrationes liturgicas Episcopi de more participent diversi ordines Ecclesiæ, cuius mysterium hoc modo clarius manifestatur, in illis emicare oportet caritatem et honorem mutuum inter mystici Iesu Christi Corporis membra, ut etiam in liturgia ad effectum deducatur præceptum apostolicum: « Honore invicem prævenientes ».[54]

Antequam ergo ad singulos ritus describendos deveniatur, opportunum videtur quasdam normas præmittere, quas traditio probavit, et quas observare oportet.

I. DE VESTIBUS ET INSIGNIBUS

De vestibus et insignibus Episcopi

56. Vestes Episcopi in celebratione liturgica sunt eædem quæ presbyteri; at in celebratione sollemni convenit ut, secundum ab antiquo traditum morem, sub casula induat dalmaticam, præsertim in collatione Ordinum, in benedictione Abbatis et Abbatissæ, atque in dedicatione ecclesiæ et altaris.

57. Insignia pontificalia, quæ Episcopus defert, sunt: anulus, baculus pastoralis, mitra, crux pectoralis, insuper pallium si ipsi iure competit.

58. *Anulus,* insigne fidei et coniunctionis nuptialis cum Ecclesia, sponsa sua, ab Episcopo semper deferatur.

[52] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 34.
[53] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 21; Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 41.
[54] Rom 12, 10.

59. *Baculo,* pastoralis muneris signo, utitur Episcopus in suo territorio; eo vero uti potest quivis Episcopus qui sollemniter, consentiente Episcopo loci, celebrat.[55] Cum autem plures Episcopi in eadem celebratione adsint, Episcopus tantum qui præsidet baculo utitur.

Baculum, parte eius curva ad populum seu ante se versa, Episcopus adhibet de more in processione, ad lectionem Evangelii audiendam et homiliam faciendam, ad excipienda vota vel promissa vel professionem fidei; denique ad benedicendas personas, nisi impositionem manuum facere debeat.

60. *Mitra,* quæ una tantum erit in unaquaque actione liturgica, simplex aut ornata iuxta rationem celebrationis,[56] Episcopus de more utitur: quando sedet; cum homiliam habet; cum salutationes, allocutiones et monitiones facit, nisi immediate postea mitram deponere debeat; cum populo sollemniter benedicit; cum gestus sacramentales peragit; cum incedit in processionibus.

Mitra Episcopus non utitur: ad preces introductorias; ad orationes; ad orationem universalem; ad Precem eucharisticam; ad lectionem Evangelii; ad hymnos si stando canuntur; in processionibus, in quibus Ss.mum Sacramentum aut reliquiæ S. Crucis Domini deferuntur; in conspectu Ss.mi Sacramenti expositi. Licet Episcopo mitra et baculo non uti, cum incedit de loco in locum, si exiguum spatium intercedit.[57]

Pro usu mitræ in administrandis sacramentis et sacramentalibus, ea insuper serventur quæ infra suis locis indicantur.

61. *Crux pectoralis* assumatur sub casula vel sub dalmatica, aut sub pluviali, sed supra mozetam.

62. Archiepiscopus residentialis qui *pallium* a Romano Pontifice iam acceperit, illud super casulam induit in territorio suæ iurisdictionis, quando Missam celebrat stationalem vel saltem magna cum sollemnitate necnon quando ordinationes, benedictionem Abbatis et Abbatissæ, consecrationem virginis, dedicationem ecclesiæ et altaris peragit.

Crux archiepiscopalis adhibeatur cum archiepiscopus, postquam pallium accepit, ad ecclesiam accedit aliquam actionem liturgicam celebraturus.[58]

[55] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus,* 21 iunii 1968, n. 19: A.A.S. 60 (1968), p. 410.
[56] Cf. *ibidem,* n. 18: A.A.S. 60 (1968), p. 410.
[57] Cf. *ibidem,* n. 31: A.A.S. 60 (1968), p. 411.
[58] Cf. *ibidem,* n. 20: A.A.S. 60 (1968), p. 410.

63. *Habitus choralis* Episcopi tam in sua diœcesi quam extra diœcesim constat veste talari violacei coloris; zona serica violacea cum laciniis item sericis duas extremas partes exornantibus (non tamen cum flocculis); rocheto e lino similive textili; mozeta violacei coloris (sine tamen cocullo); cruce pectorali sustentata super mozetam funiculo coloris viridis auro intertexto; pileolo item coloris violacei; bireto eiusdem coloris cum flocculo.

Cum talaris vestis violacea gestatur, violacea etiam tibialia adhibentur. Usus vero tibialium violaceorum cum talari veste nigra torulo exornata prorsus liber est.[59]

64. *Magna cappa* violacea, sine hermellino, in diœcesi tantum et sollemnissimis festivitatibus adhiberi potest.

De vestibus presbyterorum et aliorum ministrorum

65. Vestis sacra omnibus ministris cuiusvis gradus communis est alba, circa lumbos cingulo astringenda, nisi tali modo confecta sit, ut corpori adhæreat etiam sine cingulo. Antequam vero alba assumatur, si hæc habitum communem circa collum perfecte non cooperit, amictus adhibeatur. Alba cum superpelliceo commutari nequit quando casula vel dalmatica induenda est aut quando stola adhibetur loco casulæ vel dalmaticæ.[60] Superpelliceum semper super vestem talarem induendum est.

Acolythi, lectores et ceteri ministri, loco vestium de quibus supra, induere possunt alias vestes legitime probatas.

66. Presbyteri celebrantis vestis propria, in Missa aliisque sacris actionibus quæ cum Missa directe conectuntur, est planeta seu casula, nisi aliud caveatur, super albam et stolam induenda.

Stola defertur a sacerdote circa collum et ante pectus pendens.

Pluviale, seu cappa pluvialis, assumitur a sacerdote in sollemnibus sacris actionibus extra Missam, in processionibus aliisque actionibus sacris iuxta rubricas proprias singulorum rituum.[61]

Presbyteri, qui sacræ celebrationi intersunt quin concelebrent, habitum choralem gestant,[62] si sunt Prælati vel canonici; secus superpelliceum super vestem talarem.

67. Diaconi vestis propria est dalmatica super albam et stolam induendam. Dalmatica autem ob necessitatem vel minorem gradum

[59] Cf. Secretaria Status, Instr. circa vestes, titulos et insignia generis Cardinalium, Episcoporum et Prælatorum ordine minorum, *Ut sive sollicite*, 31 martii 1969, n. 4: A.A.S. 61 (1969), p. 335.
[60] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 298.
[61] Cf. *ibidem*, nn. 299, 302, 303.
[62] Cf. infra nn. 1207-1209.

sollemnitatis omitti potest. Stola diaconi ab umero sinistro per transversum super pectus ducitur ad partem dexteram corporis, ibique retinetur.[63]

II. De signis reverentiæ in genere

68. *Inclinatione* significatur reverentia et honor quæ personis ipsis vel eorum signis tribuitur.

Duæ species inclinationum habentur: capitis et corporis.

a) inclinatio capitis fit ad nomen Iesu, B. Mariæ Virginis et Sancti in cuius honorem Missa vel Liturgia Horarum celebratur;

b) inclinatio corporis, seu inclinatio profunda, fit: ad altare, si tabernaculum cum Ss.mo Sacramento non adsit; ad Episcopum; ante et post turificationem, ut infra n. 91; quoties variis libris liturgicis expresse mandatur.[64]

69. *Genuflexio,* quæ fit solum dexterum genu flectendo usque ad terram, adorationem significat, ideoque reservatur Ss.mo Sacramento, sive exposito sive in tabernaculo recondito, et sanctæ Cruci inde a sollemni adoratione intra Actionem liturgicam feria VI in Passione Domini, usque ad initium Vigiliæ paschalis.

70. Nec genuflexio nec profunda inclinatio fit ab iis, qui ferunt res, quæ in celebratione peragenda adhibentur, ex. gr. crux, candelabra, liber Evangeliorum.

De reverentia erga Ss.mum Sacramentum

71. Ss.mum Sacramentum omnes qui intrant ecclesiam adorare ne neglegant, sive sacellum Ss.mi Sacramenti adeundo, sive saltem genuflectendo.

Item genuflectunt omnes qui ante Ss.mum Sacramentum transeunt, nisi processionaliter incedant.

De reverentia erga altare

72. Altare salutatur profunda inclinatione, ab omnibus qui presbyterium adeunt vel ab eo recedunt vel ante altare transeunt.

73. Præterea celebrans et concelebrantes, in signum venerationis altare osculant initio Missæ. Celebrans principalis, antequam ab altari discedat, de more illud osculo veneratur, ceteri vero, præsertim si plures sint, debita reverentia.

[63] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* nn. 300, 81b, 302.
[64] Cf. *ibidem,* n. 234.

In celebratione Laudum et Vesperarum quibus sollemniter præest Episcopus altare osculatur etiam initio, et, pro opportunitate, in fine.

Attamen, ubi huiusmodi signum plene non congruit cum traditionibus aut ingenio alicuius regionis, ibi est Conferentiæ Episcoporum aliud signum statuere in vicem illius adhibendum, hac de re certiore facta Sede Apostolica.[65]

De reverentia erga Evangelium

74. In Missa, in celebratione verbi et in vigilia protracta, dum Evangelium proclamatur, omnes stant, de more conversi ad eum qui legit.

Diaconus, librum Evangeliorum sollemniter deferens, ad ambonem pergit, medius inter acolythos candelabra deferentes cum cereis accensis,[66] præcedente turiferario cum turibulo.[67]

Diaconus, stans in ambone versus populum, postquam manibus iunctis populum salutaverit, pollice dexteræ manus signo crucis signat primo librum super principium Evangelii quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore et pectore, dicens *Léctio Sancti Evangélii.* Episcopus autem eodem modo signat se in fronte, ore et pectore, idemque faciunt ceteri omnes. Postea, saltem in Missa stationali, diaconus ter librum incensat, hoc est in medio, a sinistris et a dextris. Tunc legit Evangelium usque in finem.

Lectione finita, diaconus librum defert osculandum Episcopo, vel ipse diaconus osculatur librum nisi, ut supra n. 73, aliud signum venerationis a Conferentia Episcoporum statutum fuerit.[68]

Deficiente diacono, presbyter benedictionem petit et accipit ab Episcopo atque Evangelium profert, ut supra descriptum est.

75. Omnes pariter stant cum canuntur vel dicuntur cantica evangelica *Benedíctus, Magníficat* et *Nunc dimíttis;* initio eorum signo crucis se signant.[69]

[65] Cf. *ibidem,* nn. 208 et 232.

[66] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* nn. 94, 131; secundum Romanam consuetudinem acolythi « candelabra accipient manu dextera, ita ut qui a parte dextera incedit ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum, et qui incedit a parte sinistra ponat dexteram ad pedem et sinistram ad eundem globum » (Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, XI, 8).

[67] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* nn. 93-95, 131; Romano more cum turiferarius in processione incedit, « debet, elevatis æqualiter manibus, tenere turibulum dextera; pollice in anulum maiorem immisso, medio vero eiusdem manus digito minorem catenæ elevante coopertorium appositum reget et sustinebit; sinistra manu pedem naviculæ cum incenso et cochleari gestabit » (Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, XI, 7).

[68] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* nn. 131, 232.

[69] Cf. Liturgia Horarum, *Institutio generalis,* n. 266 b.

De reverentia erga Episcopum et alias personas

76. Episcopus salutatur profunda inclinatione a ministris vel quibuscumque ad eum accedunt servitii causa vel, facto servitio, recedunt, aut transeunt ante eum.[70]

77. Quando cathedra Episcopi est retro altare, ministri salutent aut altare aut Episcopum, prout ad altare vel ad Episcopum accedunt; at vitent, quantum possibile est, ne transeant inter Episcopum et altare ob reverentiam utriusque.

78. Si plures in presbyterio forte adsint Episcopi, soli ei qui præsidet fit reverentia.

79. Cum Episcopus, vestibus indutus supra n. 63 descriptis, ad ecclesiam accedit, actionem aliquam liturgicam celebraturus, potest, secundum locorum consuetudines, aut publice ad ecclesiam deduci a canonicis vel aliis presbyteris et clericis habitu chorali vel superpelliceo super vestem talarem indutis, aut forma simpliciore ad ecclesiam accedere et ad ianuam a clero excipi.

In utroque casu, Episcopus procedit primus: si vero est Archiepiscopus, praecedit acolythus crucem archiepiscopalem deferens cum imagine crucifixi in parte anteriore posita; post Episcopum, sequuntur canonici, presbyteri et clerici, bini et bini. Ad ianuam ecclesiæ, dignior e presbyteris Episcopo porrigit aspersorium, nisi aspersio postea facienda sit loco actus pænitentialis. Episcopus, detecto capite, aspergit seipsum et adstantes; deinde aspersorium reddit. Mox cum suo comitatu pergit ad locum ubi asservatur Ss.mum Sacramentum, ibique breviter orat; ac tandem secretarium petit.

Potest tamen Episcopus adire directe secretarium, ibique a clero excipi.

80. In processione vero, Episcopus qui celebrationi liturgicæ præest, sacris vestibus indutus, solus semper incedit post presbyteros; sed ante illos, qui ei assistunt eumque paulisper retro comitantur.

81. Episcopo sacræ celebrationi præsidenti vel participanti habitu tantum chorali induto, assistunt duo canonici suum habitum choralem gestantes, vel presbyteri aut diaconi cum superpelliceo super vestem talarem.

82. Qui Reipublicæ moderatur, si ad liturgiam ex officio venit, ab Episcopo iam parato ad portam ecclesiæ excipitur, qui ei, si est catholicus, aquam benedictam pro opportunitate porrigit, eum se-

[70] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus*, 21 iunii 1968, n. 25: A.A.S. 60 (1968), p. 411.

cundum usum communem salutat, et, ad eius sinistram procedens, eum ad locum ipsi in ecclesia extra presbyterium destinatum conducit. Expleta autem celebratione eum salutat, cum discedit.

83. Alii magistratus, qui summam potestatem tenent in gubernio nationis, regionis aut civitatis, si moris est, ad ianuam ecclesiæ excipiuntur, iuxta locorum consuetudines, ab aliquo digniore viro ecclesiastico, qui eos salutat et ad loca ipsis reservata conducit. Episcopus vero eos salutare potest dum in processione introitus ad altare accedit, et cum discedit.

III. De turificatione seu incensatione

84. Ritus turificationis seu incensationis reverentiam exprimit et orationem, ut in Psalmo 140, 2 et in Apocalypsi 8, 3 significatur.

85. Materies autem quæ in turibulum immittitur, vel solum et purum tus esse debet suavis odoris, vel si aliqua addantur, advertatur ut quantitas turis longe maior sit.

86. In Missa stationali Episcopi, incensum adhibeatur:

a) durante processione ingressus;

b) initio Missæ, ad altare turificandum;

c) ad processionem et ad proclamationem Evangelii;

d) ad offertorium, ad turificanda oblata, altare, crucem, Episcopum, concelebrantes et populum;

e) ad ostensionem hostiæ et calicis post consecrationem.

In aliis autem Missis, incensum pro opportunitate adhiberi potest.[71]

87. Item tus adhibeatur, ut describitur in libris liturgicis:

a) in dedicatione ecclesiæ et altaris;

b) in confectione sacri chrismatis, quando deferuntur olea benedicta;

c) in Ss.mi Sacramenti expositione cum ostensorio;

d) in exsequiis defunctorum.

88. Præterea tus de more adhibeatur ad processiones in Præsentatione Domini, in Dominica in Palmis, in Missa in Cena Domini, in Vigilia paschali, in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi, in sollemni translatione reliquiarum, et generatim ad processiones quæ fiunt cum sollemnitate.

89. Ad Laudes matutinas et ad Vesperas cum sollemnitate celebratas, incensatio altaris, Episcopi et populi fieri potest dum canitur canticum evangelicum.

[71] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 235.

90. Episcopus, ad incensum in turibulum imponendum, sedit, si in cathedra vel alia sede est, secus tus imponit, stans, ministrante diacono naviculam,[72] illudque benedicit signo crucis, nihil dicens.[73]

Deinde diaconus accipit ab acolytho turibulum illudque Episcopo tradit.[74]

91. Ante et post turificationem fit profunda inclinatio personæ vel rei quæ incensatur, altari et oblatis pro Missæ sacrificio exceptis.[75]

92. *Tribus* ductibus turibuli incensantur: Ss.mum Sacramentum, reliquia S. Crucis et imagines Domini sollemniter expositæ, oblata, crux altaris, liber Evangeliorum, cereus paschalis, Episcopus vel presbyter celebrans, auctoritas civilis quae ex officio sacræ celebrationi adest, chorus et populus, corpus defuncti.

Duobus ductibus incensantur reliquiæ et imagines Sanctorum publicæ venerationi expositæ.

93. Altare incensatur singulis ictibus turibuli, hoc modo:

a) si altare est a pariete seiunctum, Episcopus illud circummeundo incensat;

b) si altare non est a pariete seiunctum, Episcopus transeundo incensat primo partem dexteram, deinde partem sinistram altaris.

Crux, si est super altare vel apud ipsum, turificatur ante altare; secus Episcopus eam incensat cum transit ante ipsam.[76]

Oblata turificantur, ante incensationem altaris et crucis.

94. Ss.mum Sacramentum flexis genibus incensatur.

[72] Episcopum adire possunt duo acolythi afferentes turibulum et naviculam, vel unus acolythus utraque gestans, portans scilicet sinistra manu turibulum cum prunis ardentibus, dextera autem naviculam cum ture et cochleari (cf. Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, XXIII, 1).

[73] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 236.

Diaconus accipit de manu acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea exsistens, et offert eam Episcopo. Episcopus accipit cochlear, sumit cum eo ter e navicula tus, illudque etiam ter in turibulum immittit. Quo facto ac reddito cochleari ministro, Episcopus facit manu dextera signum crucis super tus in turibulo (cf. Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, XXIII, 1-2).

[74] Diaconus « reddit naviculam acolytho, a quo accipit turibulum, quod Episcopo porrigit, summitatem catenularum ponens in manu sinistra ipsius Episcopi, turibulum vero in dextera » (Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, IX, 1).

[75] Qui incensat « sinistra catenulas quibus turibulum sustinetur, in earum summitate, dextera vero easdem catenulas simul iunctas prope turibulum tenet ac turibulum sustinet, ita ut illud commode ducere et ad se retrahere possit ». « Advertat ut se graviter et decore gerat, non personam aut caput dum turibulum ducit reducitque movens; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque ante pectus tenebit; dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum turibulo movebit » (Cf. Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, XXIII, 4 et 8).

[76] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 236.

95. Reliquiæ et imagines sacræ publicæ venerationi expositæ turificantur cum incensatur altare, in Missa tamen unice initio celebrationis.

96. Episcopus, sive ad altare sive ad cathedram, incensationem accipit stans, sine mitra, nisi iam habeat.

Concelebrantes a diacono una simul incensantur.

Denique a diacono incensatur populus de loco ad id magis apto. Canonici forte non concelebrantes vel conventus in choro una simul cum populo incensantur, nisi dispositio locorum id aliter suadeat.

Quod valet etiam pro Episcopis forte præsentibus.

97. Episcopus qui præsidet, quin Missam celebret, post celebrantem vel concelebrantes incensatur.

Post Episcopum incensatur, ubi consuetudo viget, Reipublicæ Moderator, qui ex officio ad sacram celebrationem venit.

98. Monitiones vel orationes, ab omnibus audiendas, Episcopus ne proferat, antequam incensatio finiatur.

IV. De ordine pacis significandæ

99. Episcopus celebrans, postquam diaconus dixit: *Offérte vobis pacem,* saltem duobus concelebrantibus sibi propinquioribus et deinde primo diacono pacis osculum tribuit.

100. Interim concelebrantes et diaconi ceterique ministri, necnon Episcopi forte præsentes, sibi invicem pacem simili modo significant.

Episcopus, qui sacræ celebrationi præsidet quin Missam celebret, pacem dat canonicis vel presbyteris vel diaconis ipsi assistentibus.

101. Etiam fideles pacem sibi exprimunt modo a Conferentiis Episcoporum statuto.

102. Si adest Reipublicæ Moderator, qui ex officio ad sacram celebrationem venit, diaconus vel aliquis ex concelebrantibus ad ipsum accedit et signum pacis iuxta locorum consuetudinem tribuit.

103. Dum osculum pacis traditur, dici potest: *Pax tecum,* cui respondetur: *Et cum spíritu tuo.* Adhiberi tamen possunt etiam alia verba secundum consuetudines locales.

V. De modo tenendi manus

De manibus elevatis et extensis

104. Consuetudo est in Ecclesia Episcopum aut presbyterum orationes ad Deum dirigere stantem, et manus aliquantulum elevatas et extensas tenentem.

Qui mos orandi iam invenitur in traditione Veteris Testamenti [77] et a christianis acceptus est in memoriam dominicæ passionis. « Nos vero (manus) non attollimus tantum, sed etiam expandimus, et dominica passione ⟨modulata⟩, tum et orantes confitemur Christo ».[78]

De manibus super personas vel res extensis

105. Episcopus manus extensas tenet: super populum, ad benedictionem sollemniter impertiendam et quoties id requiritur pro sacramentorum et sacramentalium celebratione, ut in libris liturgicis suo loco notatur.

106. Manus extensas Episcopus et concelebrantes tenent super oblata in Missa ad epiclesim ante consecrationem.

Ad consecrationem, dum Episcopus tenet manibus hostiam vel calicem et profert verba consecrationis, concelebrantes verba Domini proferunt et manum dexteram, si opportunum videtur, ad panem et ad calicem extendunt.[79]

De manibus iunctis

107. Episcopus, nisi baculum deferat pastoralem, manus iunctas [80] tenet cum, sacris vestibus paratus, ad actionem liturgicam celebrandam progreditur, dum genuflexus orat, dum ab altari ad cathedram vel a cathedra ad altare progreditur, et quando a rubricis in libris liturgicis præscribitur.

Item concelebrantes et ministri, dum incedunt vel stant, manus iunctas teneant nisi quid ferendum habeant.

[77] Cf. Ex 9, 29; Ps 27, 2; 62, 5; 133, 2; Is 1, 15.

[78] Tertullianus, *De oratione*, 14: CCL 1, 265; PL 1, 1273.

[79] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 174 a, c, 180 a, c, 184 a, c, 188 a, c. Ad epiclesim ante consecrationem manus extendendæ sunt, ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra oblata (cf. Missale Romanum, ed. 1962, *Ritus servandus in celebratione Missæ*, VIII, 4). Ad consecrationem vero palma manus dexteræ versa sit ad latus (cf. Notitiæ, I, 1965, p. 143).

[80] Quando dicitur manus iunctas tenere, intellegitur: « Palmas extensas ac simul iunctas ante pectus habere, pollice dexteræ super sinistro in crucis modum posito » (Cæremoniale Episcoporum, ed. 1886, I, XIX, 1).

De aliis modis manus tenendi

108. Cum Episcopus seipsum signat, vel benedicit,[81] sinistram manum ponit super pectus nisi quid ferendum habeat. Cum autem sistit ad altare et oblata vel aliquid aliud benedicit dextera, ponit sinistram super altare, nisi aliter notetur.

109. Cum autem Episcopus sedet, si est vestibus liturgicis paratus, nisi pastoralem baculum teneat, palmas super genua ponit.

VI. De usu aquæ benedictæ

110. Omnes ingredientes ecclesiam, laudabili consuetudine, manu intincta in aquam benedictam, ibidem in bacili paratam, signant se signo crucis, ad memoriam Baptismi revocandam.

111. Episcopo ecclesiam ingredienti aquam benedictam, si ei porrigenda sit, dignior ex clero Ecclesiæ tradit, porrigens aspersorium, quo Episcopus seipsum et comitantes aspergit. Deinde Episcopus aspersorium reddit.

112. Quæ omnia omittuntur si Episcopus paratus ingreditur ecclesiam, et quando in Missa dominicali fit aspersio loco actus pænitentialis.

113. De aspersione populi quæ fit in Vigilia paschali et in dedicatione ecclesiae dicetur infra nn. 369 et 872.

114. Aspersio rerum, quæ benedicuntur, fit secundum normas librorum liturgicorum.

VII. De librorum liturgicorum cura et de modis proferendi varios textus

115. Libri liturgici cura et reverentia sunt tractandi cum ex ipsis verbum Dei proclametur et Ecclesiæ oratio proferatur. Propterea attendendum est, præsertim in celebrationibus liturgicis ab Episcopo peragendis, ut præsto sint libri liturgici officiales in editione recentiore, pulchri ac decori ob eorum editionem typographicam atque ligaturam.

[81] « Seipsum signans vertit ad se palmam manus dexteræ, et omnibus illius digitis iunctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, signum crucis format. Si vero alios vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis et extensis » (Missale Romanum, ed. 1962, *Ritus servandus in celebratione Missæ*, III, 5)

116. In textibus clara et elata voce proferendis sive ab Episcopo sive a ministris sive ab omnibus, vox respondeat generi ipsius textus, prout hic est lectio, oratio, admonitio, acclamatio, cantus, necnon formæ celebrationis et sollemnitati cœtus.

117. In rubricis ergo et normis quæ sequuntur, verba « dicere », « recitare », « proferre » intellegi debent sive de cantu sive de recitatione, servatis principiis in singulis libris liturgicis propositis,[82] et normis quæ infra suis locis dantur.

118. Locutio autem « cantare vel dicere », quæ infra sæpe adhibetur, intellegi debet de cantu, nisi adsit aliqua causa quæ cantum non suadet.

[82] Cf *ex. gr.* Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn 18-19, Liturgia Horarum, *Institutio generalis*, nn 267-284, S Congr Rituum Instr *Musicam sacram*, 5 martii 1967. nn 5-12. A A S 59 (1967), pp 301-303, S Congr pro Cultu Divino, Litt circul de Precibus eucharisticis, *Eucharistiæ participationem*, 27 aprilis 1973, n 17. A A S 65 (1973), pp 346-347.

PARS II

DE MISSA

CAPUT I

DE MISSA STATIONALI EPISCOPI DIŒCESANI

PRÆNOTANDA

119. Præcipua manifestatio Ecclesiæ localis habetur quando Episcopus, ut sacerdos magnus sui gregis, Eucharistiam celebrat præsertim in ecclesia cathedrali, a suo presbyterio et ministris circumdatus, cum plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctæ Dei.

Quæ Missa, stationalis nuncupata, et unitatem Ecclesiæ localis et diversitatem ministeriorum circa Episcopum sacramque Eucharistiam manifestat.[1]

Ad eam proinde quamplurimi fideles convocentur, presbyteri cum Episcopo concelebrent, diaconi ministrent, acolythi et lectores suo munere fungantur.[2]

120. Hæc forma Missæ servetur præsertim in maioribus sollemnitatibus anni liturgici, quando Episcopus conficit sacrum chrisma et in Missa vespertina in Cena Domini,[3] in celebrationibus sancti Fundatoris Ecclesiæ localis vel Patroni diœcesis, in « die natali » Episcopi, in magnis conventibus populi christiani, necnon in visitatione pastorali.

121. Missa stationalis sit in cantu, iuxta normas quæ in Institutione generali Missalis Romani traduntur.[4]

122. Convenit ut diaconi veri nominis sint de more saltem tres, unus qui ad Evangelium et ad altare ministret, duo qui Episcopo assistant. Si plures sunt ministeria inter se distribuant, et saltem unus eorum curam habeat de actuosa participatione fidelium. Si vero diaconi veri nominis adesse non possunt, tunc convenit ut eorum ministeria impleantur a presbyteris qui, vestibus sacerdotalibus induti, cum Episcopo concelebrent etiamsi aliam Missam in bonum pastorale fidelium celebrare teneantur.

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.
[2] Cf. *ibidem*, nn. 26-28.
[3] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 157-158 a.
[4] Cf. *ibidem*, nn. 12, 18, 19, 77, 313. Si casus fert, attendatur etiam ad Ordinem Cantus Missæ. Cf. Missale Romanum, Ordo cantus Missæ, *Prænotanda*. Cf. etiam S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, nn. 7, 16, 29-31: A.A.S. 59 (1967), pp. 302, 305, 308-309.

123. In ecclesia cathedrali, si adest Capitulum, decet omnes canonicos cum Episcopo Missam stationalem concelebrare,[5] quin adeo excludantur alii presbyteri.

Episcopi forte præsentes et canonici non concelebrantes, induti sint veste chorali.

124. Quando, propter adiuncta particularia, Hora canonica iungi nequit Missæ stationali Episcopi et Capitulo incumbit obligatio choralis, ab eo Hora tempore congruo persolvatur.[6]

125. Paranda sunt:

a) *in presbyterio suis cuiusque locis:*

— Missale;
— Lectionarium;
— libelli pro concelebrantibus;
— textus orationis universalis, sive pro Episcopo, sive pro diacono;
— liber cantuum;
— calix sufficientis magnitudinis velo coopertus;
— (palla);
— corporale;
— purificatoria;
— bacile, urceus aquæ et mantile;
— vas aquæ benedicendæ, quando adhibetur in actu pænitentiali;
— patina pro Communione fidelium;

b) *loco convenienti:*

— panis, vinum et aqua (alia dona);

c) *in secretario*:

— liber Evangeliorum;
— turibulum et navicula cum ture;
— crux in processione deferenda;
— septem (val saltem duo) candelabra cum candelis accensis;
et insuper:
— pro Episcopo: bacile, urceus aquæ et mantile; amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, dalmatica, casula (pallium, pro metropolita), pileolus, mitra, anulus, baculus;
— pro concelebrantibus: amicti, albæ, cingula, stolæ, casulæ;
— pro diaconis: amicti, albæ, cingula, stolæ, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: amicti, albæ, cingula; vel superpellicea super vestem talarem induenda; vel aliæ vestes legitime approbatæ. Vestes sacræ sint coloris Missæ, quæ celebratur, vel festivi.[7]

[5] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* n. 157.
[6] Cf. Liturgia Horarum, *Institutio generalis,* nn. 31 a et 93.
[7] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* n. 310.

DE ACCESSU ET PRÆPARATIONE EPISCOPI

126. Postquam receptus fuerit, ut supra n. 79 indicatum est, Episcopus, adiuvantibus diaconis assistentibus aliisque ministris, qui ante eius adventum sua sacra vestimenta induerunt, in secretario deponit cappam vel mozetam et, pro opportunitate, etiam rochetum, lavat manus, atque induit amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, dalmaticam et casulam.

Deinde mitra ab uno ex diaconis ei imponitur. Archiepiscopo autem, antequam mitram accipiat, pallium imponitur a primo diacono.

Interim presbyteri concelebrantes et alii diaconi, qui Episcopo non ministrant, sua vestimenta induunt.

127. Omnibus paratis, accedente acolytho turiferario, Episcopus incensum turibulo imponit et signo crucis benedicit, ministrante naviculam uno e diaconis. Deinde accipit baculum a ministro. Unus e diaconis librum Evangeliorum sumit, quem clausum reverenter defert in processione ad introitum.

DE RITIBUS INITIALIBUS

128. Dum peragitur cantus ad introitum, fit processio a secretario ad presbyterium hoc modo ordinata:

— turiferarius cum turibulo fumiganti;

— alius acolythus crucem deferens, cum imagine crucifixi in anteriore parte posita, medius inter septem, vel saltem duos, acolythos deferentes candelabra cum candelis accensis:

— clerici bini et bini;

— diaconus deferens librum Evangeliorum;

— alii diaconi, si adsint, bini et bini;

— presbyteri concelebrantes, bini et bini;

— Episcopus incedens solus, gerens mitram, et baculum pastoralem in manu sinistra portans;

— paulisper retro Episcopum, duo diaconi ei assistentes;

— denique ministrantes ad librum, mitram et baculum.

Si processio transit ante sacellum Ss.mi Sacramenti, nulla fit statio aut genuflexio.[8]

129. Crux in processione delata iuxta altare laudabiliter erigitur ita ut fiat crux ipsa altaris, secus reponatur; candelabra vero iuxta altare vel super abacum vel prope in presbyterio collocantur; liber Evangeliorum super altare deponitur.

[8] Cf. supra n. 71.

130. Omnes, intrantes presbyterium, bini et bini faciunt altari profundam reverentiam, diaconi et presbyteri concelebrantes ascendunt ad altare illudque osculantur, deinde loca sua petunt.

131. Episcopus, cum pervenerit ante altare, tradit baculum pastoralem ministro et, deposita mitra, facit profundam reverentiam altari cum diaconis aliisque ministris qui eum comitantur. Deinde ascendit ad altare illudque osculatur una cum diaconis.

Postea, imposito denuo ab acolytho, si necesse est, incenso in turibulum, altare et crucem incensat, duobus diaconis eum comitantibus.[9]

Altari incensato, Episcopus, comitantibus ministris, per breviorem viam ad cathedram accedit. Duo diaconi stant hinc inde prope cathedram, ut præsto sint ad ministerium Episcopi, iisque autem deficientibus, duo presbyteri concelebrantes.

132. Deinde Episcopus, concelebrantes et fideles, stantes, signant se signo crucis, dum Episcopus ad populum conversus dicit: *In nómine Patris.*

Postea Episcopus manus extendens, populum salutat, dicens: *Pax vobis*, vel aliam e formulis in Missali propositis. Deinde ipse Episcopus, vel diaconus vel unus e concelebrantibus, potest brevissimis verbis introducere fideles in Missam diei.[10] Postea Episcopus invitat ad actum pænitentialem, quem concludit dicens: *Misereátur nostri.* Minister, si opus est, librum ante Episcopum sustinet.

Quando tertia formula actus pænitentialis adhibetur, invocationes ab ipso Episcopo aut a diacono proferuntur, vel ab alio ministro idoneo.

133. Die dominica, loco consueti actus pænitentialis, laudabiliter fit benedictio et aspersio aquæ.[11]

Post salutationem Episcopus, stans ad cathedram, ad populum conversus et habens ante se vas cum aqua benedicenda a ministro delatum, populum ad orandum invitat et, post brevem pausam silentii, orationem benedictionis profert. Ubi populi traditio suadet ut salis commixtio in aquæ benedictione servetur, Episcopus etiam sal benedicit, et postea in aquam immittit.

Accepto deinde a diacono aspersorio, Episcopus aspergit se et concelebrantes, ministros, clerum et populum, pro opportunitate transeundo per ecclesiam, diaconis eum comitantibus. Interim peragitur cantus qui aspersionem comitatur.

Ad cathedram reversus, cantu expleto, Episcopus, stans, manibus

[9] Ad modum incensandi altare quod attinet, necnon reliquias et imagines quæ forte sint fidelium venerationi expositæ, cf. supra nn. 93, 95.

[10] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 29.

[11] Cf. *ibidem, Appendix*, Ordo ad faciendam et aspergendam aquam benedictam.

extensis, dicit orationem conclusionis. Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus *Glória in excélsis.*

134. Post actum pænitentialem dicitur *Kýrie,* nisi facta fuerit aspersio aquæ vel adhibita sit tertia formula actus pænitentialis, vel rubricis aliter statuatur.

135. *Glória* dicitur iuxta rubricas. Inchoari autem potest aut ab Episcopo aut ab uno e concelebrantibus aut a cantoribus. Dum canitur hymnus, omnes stant.

136. Deinde Episcopus populum ad orandum invitat, manibus iunctis cantans vel dicens: *Orémus;* et, brevi pausa silentii interposita, manibus extensis, subdit collectam, allato ante eum libro a ministro. Episcopus iungit manus, quando concludit orationem, dicens: *Per Dóminum nostrum Iesum Christum ...,* vel alia verba. In fine populus acclamat: *Amen.*

Deinde Episcopus sedet et de more accipit mitram ab uno e diaconis. Et sedent omnes; diaconi et reliqui ministri sedeant iuxta presbyterii dispositionem, ita tamen ut non videantur eodem gradu gaudere quo presbyteri.

De liturgia verbi

137. Collecta finita, lector ad ambonem pergit et, omnibus sedentibus, recitat primam lectionem, quam omnes auscultant. In fine lectionis cantatur vel dicitur *Verbum Dómini,* omnibus acclamantibus.

138. Deinde lector discedit. Omnes silentio, ea quæ audierunt breviter meditantur. Postea psalmista seu cantor, vel ipse lector, psalmum cantat vel dicit uno ex modis prævisis.[12]

139. Alter lector alteram lectionem in ambone profert, ut supra, omnibus sedentibus et auscultantibus.

140. Sequitur *Allelúia* vel alter cantus, prout tempus liturgicum postulat. Incepto *Allelúia,* omnes, excepto Episcopo, surgunt.

Accedit turiferarius et, ministrante naviculam uno e diaconis, Episcopus imponit et benedicit incensum, nihil dicens.

Diaconus qui Evangelium est proclamaturus, ante Episcopum profunde inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens: *Iube, domne, benedícere.* Episcopus eum benedicit dicens: *Dóminus sit in corde tuo.* Diaconus signat se signo crucis et respondet: *Amen.*

Tunc Episcopus, deposita mitra, surgit.

[12] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda,* n. 20.

Diaconus accedit ad altare, huc convenientibus turiferario cum turibulo fumiganti, atque acolythis cum cereis accensis. Diaconus, facta altari inclinatione, reverenter sumit librum Evangeliorum atque omissa reverentia altari, librum sollemniter deferens ad ambonem pergit, præcedentibus turiferario et acolythis cum cereis.

141. In ambone diaconus, manibus iunctis, populum salutat. Ad verba *Léctio sancti Evangélii,* signat librum et deinde seipsum in fronte, ore et pectore, quod faciunt ceteri omnes. Tunc Episcopus baculum accipit. Diaconus librum incensat et proclamat Evangelium, omnibus stantibus et ad eum de more conversis. Finito vero Evangelio, diaconus, librum defert osculandum Episcopo, qui secreto dicit: *Per evangélica dicta,* vel ipse diaconus librum osculatur eadem verba secreto dicens. Denique diaconus et alii ministri ad loca sua revertuntur. Liber Evangeliorum ad abacum vel alium aptum locum defertur.

142. Tunc, sedentibus omnibus, Episcopus convenienter gerens mitram et baculum et sedens in sua cathedra, nisi alio loco aptiore ut ab omnibus commode conspiciatur et audiatur, homiliam facit. Qua finita, spatium aliquod silentii, pro opportunitate, servari potest.

143. Completa homilia, nisi celebrandus sit hoc tempore ritus aliquis sacramentalis vel consecratorius aut benedictionalis ad normam Pontificalis vel Ritualis Romani, Episcopus deponit mitram et baculum, surgit et, omnibus stantibus, cantatur vel dicitur symbolum, iuxta rubricas.

Ad verba *Et incarnátus est,* omnes se inclinant; genuflectunt vero in Nativitate et Annuntiatione Domini.[13]

144. Dicto symbolo, Episcopus stans ad cathedram, manibus iunctis, monitione fideles invitat ad orationem universalem. Deinde unus e diaconis vel cantor vel lector vel alius ex ambone, aut ex alio loco convenienti, intentiones profert, populo pro sua parte participante. Postremo Episcopus, manibus extensis, precationem oratione concludit.

De liturgia eucharistica

145. Finita oratione universali, Episcopus sedet cum mitra. Concelebrantes et populus pariter sedent. Tunc fit cantus ad offertorium, qui protrahitur saltem usquedum dona super altare deposita fuerint.

A diaconis et acolythis corporale, purificatorium, calix et Missale in altari collocantur.

Deinde afferuntur oblationes. Expedit ut fideles participationem suam manifestent, afferendo panem et vinum ad Eucharistiæ cele-

[13] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* n. 98.

brationem, immo alia dona quibus necessitatibus Ecclesiæ et pauperum subveniatur. Oblationes fidelium a diaconis vel ab Episcopo loco opportuno accipiuntur. Panis et vinum ad altare a diaconis deferuntur, alia vero ad locum aptum antea paratum.

146. Episcopus ad altare accedit, deponit mitram, accipit a diacono patenam cum pane, eamque ambabus manibus aliquantulum elevatam super altare tenet, secreto dicens formulam appositam. Deinde patenam cum pane super corporale deponit.

147. Interim diaconus infundit vinum et parum aquæ in calicem dicens secreto: *Per huius aquæ.*[14] Postea Episcopo calicem præsentat, qui ambabus manibus eum parum elevatum super altare tenet, secreto dicens formulam statutam, et deinde super corporale deponit, a diacono palla, pro opportunitate, cooperiendum.

148. Postea Episcopus, inclinatus in medio altaris, dicit secreto *In spíritu humilitátis.*

149. Deinde accedit ad Episcopum turiferarius et, ministrante naviculam diacono, Episcopus imponit et benedicit incensum; postea ipse Episcopus accipit turibulum a diacono et incensat oblata,[15] necnon altare et crucem ut initio Missæ, comitante diacono. Quo peracto, omnes surgunt, diaconus stans ad latus altaris incensat Episcopum, qui stat sine mitra, ac deinde concelebrantes et postea populum. Caveatur ne admonitio *Oráte, fratres,* et oratio super oblata proferantur antequam finita sit incensatio.

150. Incensato Episcopo, accedunt ad eum stantem ad latus altaris sine mitra, ministri cum urceo aquæ, bacili et mantili ad abluendas et tergendas manus. Episcopus lavat et tergit manus. Pro opportunitate unus e diaconis detrahit anulum Episcopo, qui lavat manus dum secreto dicit: *Lava me, Dómine.* Tersis manibus, et anulo reassumpto, Episcopus redit ad medium altaris.

151. Episcopus, versus ad populum, extendens et iungens manus, populum ad orandum invitat, dicens: *Oráte, fratres.*

152. Responso *Suscípiat,* Episcopus, manibus extensis, cantat vel dicit orationem super oblata. In fine populus acclamat: *Amen.*

153. Postea diaconus accipit pileolum Episcopi et tradit ministro. Concelebrantes ad altare accedunt et circa illud consistunt, ita tamen

[14] Præparationem calicis, seu infusionem vini et aquæ diaconus ad abacum peragere potest. Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* n. 133.
[15] Quoad modum incensandi oblata, cf. supra nn. 91-93.

ut impedimento ritibus peragendis non sint, et actio sacra bene a fidelibus conspiciatur.

Diaconi stant retro concelebrantes, ut, quando opus sit, unus eorum ad calicem vel ad missale ministret. Nemo vero maneat inter Episcopum et concelebrantes vel inter concelebrantes et altare.

154. Tunc Episcopus præfatione incipit Precem eucharisticam. Manus extendens, cantat vel dicit: *Dóminus vobíscum*. Cum prosequitur: *Sursum corda*, manus elevat; ac, manibus extensis, subdit: *Grátias agámus Dómino Deo nostro*. Postquam populus respondit: *Dignum et iustum est*, Episcopus prosequitur præfationem; eaque finita, iunctis manibus, una cum concelebrantibus, ministris et populo, cantat: *Sanctus*.

155. Episcopus Precem eucharisticam prosequitur iuxta nn. 171-191 Institutionis generalis Missalis Romani et rubricas, quæ in singulis Precibus continentur. Partes quæ ab omnibus concelebrantibus, manibus extensis, simul proferuntur, in recitatione ita dicendae sunt ut eas concelebrantes submissa voce proferant et vox Episcopi clare audiatur. In Prece eucharistica I Episcopus, post verba: *una cum fámulo tuo Papa nostro N.*, subiungit: *et me indígno fámulo tuo*,

Si calix et pyxis cooperiuntur, diaconus ante epiclesim ea discooperit.

Unus e diaconis immittit incensum in turibulum atque ad unamquamque ostensionem incensat hostiam et calicem.

Diaconi inde ab epiclesi usque ad ostensionem calicis genuflexi manent.

Post consecrationem diaconus calicem et pyxidem, pro opportunitate, denuo cooperit. Dicto ab Episcopo: *Mystérium fídei*, populus acclamationem profert.

156. Intercessiones peculiares, præsertim in celebratione alicuius ritus sacramentalis vel consecratorii aut benedictionalis, fiant iuxta uniuscuiusque Precis eucharisticæ structuram, textibus adhibitis qui in Missali aliisve libris liturgicis proponuntur.[16]

[16] Intercessiones peculiares in Missali Romano, sunt:

1. In Prece eucharistica I:

a) In Memento vivorum: pro patrinis, in scrutiniis peragendis (MR, *Missæ Rituales* I) et in conferendo baptismate (MR, *Missæ Rituales* I).

b) « Hanc igitur »: pro baptizandis (MR, *Missæ Rituales* I); pro neophytis (MR, *Missæ Rituales* I); pro confirmatis (MR, *Missæ Rituales* I); pro ordinatis diaconis, presbyteris, episcopis (MR, *Missæ Rituales* II); pro sponsis (MR, *Missæ Rituales* IV); pro virginibus consecratis (MR, *Missæ Rituales* VI); pro religiosis professis (MR, *Missæ Rituales* VII); in Dedicatione ecclesiæ (MR, *Missæ Rituales* VIII).

2. In aliis Precibus eucharisticis: pro defunctis, in Precibus II et III (OM); pro neophytis (MR, *Missæ Rituales* I); pro virginibus consecratis (MR, *Missæ Rituales* VI); pro religiosis professis (MR, *Missæ Rituales* VII); in Dedicatione ecclesiæ (MR, *Missæ Rituales* VIII).

157. In Missa chrismatis, antequam Episcopus dicat: *Per quem hæc ómnia* in Prece eucharistica I, vel doxologiam *Per ipsum* in aliis Precibus eucharisticis, fit benedictio olei infirmorum, ut in Pontificali Romano, nisi ob rationes pastorales peracta sit post liturgiam verbi.

158. Ad doxologiam finalem Precis eucharisticæ, diaconus, stans ad latus Episcopi, calicem elevatum tenet, dum Episcopus patenam cum hostia elevat, usquedum populus *Amen* acclamaverit. Doxologia finalis Precis eucharisticæ a solo Episcopo aut ab omnibus concelebrantibus una cum Episcopo profertur.

159. Expleta doxologia Precis eucharisticæ, Episcopus, manibus iunctis, dicit monitionem ante orationem dominicam, quam deinde omnes cantant vel dicunt; Episcopus et concelebrantes manus extensas tenent.

160. *Líbera* nos dicitur a solo Episcopo, manibus extensis. Presbyteri concelebrantes, una cum populo, proferunt acclamationem finalem: *Quia tuum est regnum.*

161. Deinde Episcopus dicit orationem: *Dómine Iesu Christe, qui dixísti;* eaque finita, pacem annuntiat conversus ad populum, dicens: *Pax Dómini sit semper vobíscum.* Populus respondet: *Et cum spíritu tuo.* Pro opportunitate, unus e diaconis invitationem facit ad pacem, dicens conversus ad populum: *Offérte vobis pacem.* Episcopus dat pacem saltem duobus sibi propioribus concelebrantibus, deinde primo e diaconis. Omnes autem iuxta locorum consuetudines pacem et caritatem sibi invicem significant.[17]

162. Fractionem panis incipit Episcopus et prosequuntur aliqui ex presbyteris concelebrantibus, atque interim repetitur *Agnus Dei,* quoties necesse sit ad fractionem panis comitandam. Episcopus immittit particulam in calicem, dicens secreto: *Hæc commíxtio.*

163. Oratione ante Communionem secreto dicta, Episcopus genuflectit et patenam accipit. Concelebrantes vero unus post alium ad Episcopum accedunt, genuflectunt, et Corpus Christi ab ipso reverenter accipiunt, atque manu dextera illud tenentes, eique manum sinistram supponentes, ad loca sua recedunt. Possunt tamen concelebrantes suis locis remanere et Corpus Christi e patena sumere, quam Episcopus tenet, ante ipsos transeundo.

Deinde Episcopus accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, versus ad populum dicit: *Ecce Agnus Dei,* et prosequitur cum concelebrantibus et populo, dicens: *Dómine, non sum dignus.*

[17] Quoad modum dandi osculum pacis, cf. supra nn. 99-103.

Dum Episcopus sumit Corpus Christi, inchoatur cantus ad Communionem.

164. Episcopus, Sanguine Domini sumpto, calicem tradit uni e diaconis et Communionem diaconis necnon fidelibus distribuit.

Concelebrantes ad altare accedunt, genuflectunt, atque Sanguinem sumunt, diaconis ministrantibus et calicem abstergentibus purificatorio post cuiusque concelebrantis Communionem.[18]

165. Distributione Communionis expleta, unus e diaconis Sanguinem qui remansit sumit, calicem ad abacum transfert ibique, statim vel post Missam, purificat et componit. Alius vero diaconus vel unus e concelebrantibus particulas consecratas, si quæ remanserint, in tabernaculum defert, et ad abacum purificat patenam vel pyxidem super calicem antequam calix purificetur.

166. Cum Episcopus post Communionem reversus fuerit ad cathedram, resumit pileolum et, si opus fuerit, manus abluit. Omnibus sedentibus, potest sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari vel canticum laudis aut psalmus proferri.

167. Postea Episcopus, stans ad cathedram, librum ministro tenente, vel reversus ad altare cum diaconis, cantat vel dicit: *Orémus* et, extensis manibus, orationem post Communionem subdit, cui præmitti potest breve spatium silentii, nisi iam præcesserit statim post Communionem. In fine orationis populus acclamat: *Amen.*

De ritibus conclusionis

168. Expleta oratione post Communionem, fiant, si habendæ sunt, breves annuntiationes ad populum.

169. Demum Episcopus accipit mitram et extendens manus, salutat populum dicens: *Dóminus vobíscum*, cui respondetur a populo: *Et cum spíritu tuo.* Unus e diaconis dicere potest invitatorium: *Inclináte vos ad benedictiónem* vel aliud similibus verbis expressum. Et Episcopus sollemnem benedictionem impertitur, congruenti formula utens ex iis quæ in Missali, Pontificali, vel Rituali Romano exstant. Dum priores invocationes vel precem profert, manus extensas tenet super populum, omnibus respondentibus: *Amen.* Deinde accipit baculum,[19] dicit: *Benedícat vos omnípotens Deus* et, signum crucis super populum faciens, addit: *Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.*

[18] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 201-206, ubi etiam alii modi distribuendi Communionem sub utraque specie describuntur.

[19] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus*, 21 iunii 1968, n. 36: A.A.S. 60 (1968), p. 411.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra, nn. 1120-1121 propositis.

Quando autem, ad normam iuris, benedictionem apostolicam impertit, hæc datur loco benedictionis consuetæ; et annuntiatur a diacono et suis propriis formulis profertur.[20]

170. Data benedictione, unus e diaconis populum dimittit, dicens: *Ite, missa est;* et omnes respondent: *Deo grátias.* Deinde Episcopus altare de more osculatur, eique debitam reverentiam facit. Concelebrantes quoque et omnes qui sunt in presbyterio altare salutant, ut initio, et ad secretarium revertuntur processionaliter eodem ordine quo venerunt.

Cum ad secretarium pervenerint, omnes, una cum Episcopo, reverentiam cruci faciunt. Deinde concelebrantes Episcopum salutant et vestes suis locis sedulo deponunt. Ministrantes quoque, una simul, Episcopum salutant, atque omnia, quibus usi sunt in celebratione modo peracta, deponunt et postea vestibus se exuunt. Ab omnibus diligentia adhibeatur in silentio servando, communem animi attentionem observantes necnon sanctitatem domus Dei.

[20] Ad ritum et formulas benedictionis apostolicæ quod attinet, cf. infra nn. 1122-1126.

CAPUT II

DE ALIIS MISSIS AB EPISCOPO CELEBRATIS

171. Etiam quando Episcopus minore concursu populi et cleri Missam celebrat, omnia ita ordinentur ut appareat sui gregis magnus sacerdos, totius Ecclesiæ suæ rem agens. Itaque cum visitat parœcias vel communitates suæ diœcesis, convenit ut presbyteri parœciæ vel communitatis cum eo concelebrent.

172. Adsit unus diaconus, vestimentis sui ordinis indutus; eo vero deficiente, presbyter Evangelium legat et altari inserviat, qui, si non concelebrat, induit albam et stolam.

173. Serventur omnia quæ in Institutione generali Missalis Romani describuntur de Missa cum populo.[21]

Præterea Episcopus, dum vestimenta induit, assumit etiam crucem pectoralem, et de more pileolum.

Mitra et baculo utitur, si adiuncta id suadeant.

Initio Missæ salutat populum, dicens: *Pax vobis* vel *Grátia Dómini nostri.*

Evangelium lecturus cum diaconus tum presbyter, etiam si concelebrat, ab eo petit et accipit benedicitonem. Lecto Evangelio, ad Episcopum liber osculandus defertur, vel diaconus aut presbyter librum osculatur.

Ante præfationem, diaconus pileolum Episcopi tradit ministro.

In Prece eucharistica I Episcopus, post verba: *una cum fámulo tuo Papa nostro N.*, subiungit: *et me indígno fámulo tuo.*

In fine Missæ, Episcopus benedicit, ut describitur infra nn. 1120-1121.

174. Episcopus, qui non est Ordinarius loci, celebrare potest utens cathedra et baculo, consentiente Episcopo diœcesano (cf. supra n. 47 et n. 59).

[21] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* n. 77-152.

CAPUT III

DE MISSA CUI EPISCOPUS PRÆSIDET QUIN EUCHARISTIAM CELEBRET

175. Cum, ex Ecclesiæ doctrina et traditione, Episcopi sit Eucharistiæ in suis communitatibus præsidere, maxime decet ut, quando Missæ interest, ipse Eucharistiam celebret.

Si vero ob iustam causam Missæ intersit quin tamen eam celebret, præstat, nisi alius Episcopus sit celebraturus, ipsum celebrationi præsidere, saltem liturgiam verbi celebrando et populum in fine benedicendo.[22] Quod valet præsertim de iis celebrationibus eucharisticis in quibus ritus aliquis sacramentalis vel consecratorius aut benedictionalis peragendus sit.

His proinde in casibus ea serventur quæ infra describuntur.

176. Episcopus, receptus modo supra n. 79 descripto, in secretario vel alio opportuno loco induit supra albam: crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis et, de more, accipit mitram et baculum. Ei assistunt duo diaconi, vel saltem unus, vestibus liturgicis sui ordinis induti. Diaconis tamen deficientibus, Episcopo assistent presbyteri pluviali induti.

177. In processione ad altare, Episcopus incedit post celebrantem vel concelebrantes, comitantibus suis diaconis et ministris.

178. Cum ad altare pervenerint, celebrans vel concelebrantes faciunt profundam reverentiam; si tamen Ss.mum Sacramentum in presbyterio asservatur, genuflexionem peragunt; deinde altare ascendunt illudque osculantur et sedem sibi assignatam petunt.

Episcopus vero, tradito baculo pastorali ministro et deposita mitra, facit cum diaconis et ministris profundam reverentiam altari, nisi, ut supra, genuflectendum sit. Deinde altare ascendit illudque osculatur.

Si incensum adhibetur, Episcopus altare incensat more consueto, et crucem, duobus diaconis illum comitantibus.

Deinde per breviorem viam ad cathedram accedit cum suis diaconis, qui stant hinc inde prope cathedram, ut præsto sint ad ministerium Episcopi.

[22] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus*, 21 iunii 1968, n. 24: A.A.S. 60 (1968), p. 410.

179. Ab initio Missæ usque ad expletam liturgiam verbi, ea serventur quæ de Missa stationali Episcopi dicuntur (cf. supra nn. 128-144); si tamen ritus aliquis sacramentalis vel consecratorius aut benedictionalis celebrandus sit, normæ peculiares præ oculis habeantur quoad symbolum et orationem universalem.

180. Finita oratione universali vel ritu sacramentali aut consecratorio vel benedictionali celebrato, Episcopus sedet et accipit mitram. Tunc diaconus et ministri altare de more præparant. Si oblationes a fidelibus afferuntur, a celebrante Missæ vel ab Episcopo excipiuntur. Deinde celebrans, facta Episcopo profunda reverentia, ad altare accedit et liturgiam eucharisticam incipit secundum Ordinem Missæ.

181. Si fit incensatio Episcopus turificatur post celebrantem. Deposita mitra, surgit ad incensationem recipiendam, secus post *Oráte, fratres;* et stat ad cathedram usque ad epiclesim in Prece eucharistica.

182. Ab epiclesi usque ad ostensionem calicis completam, Episcopus genuflectit versus altare in genuflexorio ipsi parato aut ante cathedram vel alio loco aptiore. Deinde iterum stat ad cathedram.

183. Post invitationem diaconi: *Offérte vobis pacem,* Episcopus pacem dat suis diaconis.

Episcopus, si communicat, ad altare post celebrantem Corpus et Sanguinem Domini sumit.

184. Dum fidelibus sacra Communio distribuitur, Episcopus sedere potest usque ad initium orationis post Communionem, quam stans ad altare vel ad sedem, profert. Oratione expleta, Episcopus populum benedicit, ut infra nn. 1120-1121 describitur. Unus vero e diaconis assistentibus populum dimittit (cf. supra n. 170).

185. Episcopus et celebrans demum altare osculo de more venerantur. Facta denique debita reverentia, omnes, ordine quo venerunt, recedunt.

186. Si Episcopus modo supra descripto non præsideat, Missam participet, mozeta et rocheto indutus, non tamen in cathedra, sed loco aptiore pro ipso parato.

PARS III

DE LITURGIA HORARUM
ET DE CELEBRATIONIBUS VERBI DEI

DE LITURGIA HORARUM

PRÆNOTANDA

187. Episcopus, utpote qui eminenti et aspectabili modo Christi personam gerat, et sui gregis sacerdos magnus sit, primus in oratione inter Ecclesiæ suæ membra esse debet.[1]

Summopere propterea commendatur ut, quando fieri potest, Liturgiam Horarum, præcipue vero Laudes matutinas et Vesperas, celebret cum suo presbyterio et ministris cum plenaria et actuosa participatione populi, præsertim in ecclesia cathedrali.[2]

188. Convenit ut, in maioribus sollemnitatibus, Episcopus celebret cum clero et populo in ecclesia cathedrali congregatis, aut I Vesperas aut Laudes matutinas aut II Vesperas, prout adiuncta locorum id suadeant, et servata semper veritate Horarum.

189. Pariter convenit ut in ecclesia cathedrali Episcopus celebret Officium lectionis et Laudes matutinas feria VI in Passione Domini et Sabbato Sancto, necnon Officium lectionis in nocte Nativitatis Domini.

190. Tandem gregem sibi commissum tam verbo quam exemplo doceat momentum Liturgiæ Horarum, cuius promoveat celebrationem communem in parœciis, in communitatibus et in diversis adunationibus, ad normam Institutionis generalis Liturgiæ Horarum.[3]

[1] Cf. Liturgia Horarum, *Institutio generalis*, n. 28.
[2] Cf. *ibidem*, n. 254.
[3] Cf. *ibidem*, nn. 1. 5-19; 20-27; 30-32.

CAPUT I

DE VESPERIS IN PRÆCIPUIS SOLLEMNITATIBUS CELEBRANDIS

191. Pro adventu Episcopi ad ecclesiam, serventur ea quæ dicuntur in normis generalibus, supra n. 79 relatis.

192. In secretario, adiuvantibus diaconis aliisque ministris, qui ante eius adventum sua sacra vestimenta induerunt, Episcopus deponit cappam vel mozetam et, pro opportunitate, etiam rochetum, atque induit amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam et pluviale. Deinde accipit mitram ab uno e diaconis, et baculum.

Interim presbyteri, præcipue canonici, convenienter super superpelliceum vel super albam induunt pluviale, diaconi vero pluviale vel dalmaticam.

193. Paratis omnibus, dum pulsatur organum aut cantus peragitur, fit ingressus in ecclesiam hoc ordine:

— acolythus crucem deferens medius inter duos acolythos tenentes candelabra cum candelis accensis;

— clerici bini et bini;

— diaconi, si plures sint, bini et bini;

— presbyteri bini et bini;

— Episcopus incedens solus, gerens mitram et pastoralem baculum tenens in manu sinistra;

— paulisper retro Episcopum, duo diaconi qui ei assistunt et, si opus est, pluviale hinc inde elevant;

— denique ministrantes ad librum, mitram et baculum.

Si processio transit ante sacellum Ss.mi Sacramenti, nulla fit statio vel genuflexio.[4]

194. Crux in processione delata iuxta altare laudabiliter erigitur, ita ut fiat crux ipsa altaris, secus reponatur; candelabra vero iuxta altare, vel super abacum, vel prope in presbyterio collocantur.

195. Omnes, intrantes presbyterium, bini et bini faciunt altari profundam reverentiam, et ad loca sua recedunt. Si tamen Ss.mum Sacramentum ibi asservatur, genuflexionem peragunt.

196. Episcopus, cum pervenerit ante altare, tradito baculo pastorali ministro et deposita mitra, facit profundam reverentiam altari cum diaconis aliisque ministris qui eum comitantur. Deinde ad altare

[4] Cf. supra n. 71.

ascendit illudque osculatur una simul cum diaconis sibi assistentibus. Postea cathedram petit, ubi stans et signans se signo crucis cantat versum: *Deus, in adiutórium meum inténde.* Respondetur ab omnibus: *Dómine, ad adiuvándum.* Et cantatur: *Glória Patri* et iuxta rubricas *Allelúia.*

197. Hymnus a cantoribus inchoatur, prosequente illum choro vel populo, prout modus musicalis hymni id requirit.

198. Post hymnum Episcopus sedet et mitram de more accipit: omnes pariter sedent. Antiphonæ et psalmi inchoantur a cantore. Ad psalmodiam omnes stare possunt, iuxta locorum consuetudines.

Quando orationes super psalmos adhibentur, antiphona repetitur, deinde, Episcopus, dimissa mitra, surgit et, omnibus stantibus, dicit: *Orémus;* et postquam omnes per aliquod temporis spatium in silentio oraverint, dicit orationem psalmo vel cantico respondentem.

199. Finita psalmodia, lector, ad ambonem stans, profert lectionem sive longiorem sive breviorem, omnibus sedentibus et auscultantibus.

200. Pro opportunitate, Episcopus, accepto baculo, si libet, potest brevem homiliam addere ad lectionem illustrandam, sedens cum mitra in sua cathedra vel loco aptiore ut ab omnibus conspiciatur et audiatur.

201. Post lectionem vel homiliam spatium aliquod silentii, pro opportunitate, servari potest.

202. Deinde ad respondendum verbo Dei cantatur responsorium breve vel cantus responsorialis.

203. Ad antiphonam cantici evangelici, Episcopus imponit tus in turibulum. Incipiente choro canticum *Magnificat,* surgit Episcopus cum mitra, omnibus surgentibus, et facto sibi crucis signo a fronte ad pectus, procedit ad altare, et facta cum ministris reverentia debita, ascendit, osculo prætermisso.

204. Dum canticum evangelicum editur, fit de more incensatio altaris, crucis, Episcopi et aliorum sicut in Missa ut supra nn. 89, 93, 96 et 121 dictum est.

205. Finito cantico et repetita de more antiphona, fiunt preces. Episcopus, ministro librum tenente, profert monitionem et deinde unus e diaconis, in ambone vel ex alio loco convenienti, intentiones enuntiat, populo respondente.

Pater noster cantatur vel dicitur ab omnibus, monitione, si opportunum visum fuerit, ab Episcopo præmissa.

Tandem Episcopus cantat vel dicit orationem conclusivam, manibus extensis. Omnes respondent: *Amen.*

206. Postea Episcopus accipit mitram et populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium: *Inclináte vos ad benedictiónem* (his vel similibus verbis), atque Episcopus, manibus super populum extensis, invocationes benedictionis sollemnis profert, congruentem formulam adhibens ex iis quæ in Missali Romano exstant.

Quibus dictis, accipit baculum et dicit: *Benedícat vos* atque signum crucis facit super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra nn. 1120-1121 propositis.

207. Deinde unus e diaconis populum dimittit, dicens: *Ite in pace,* omnibus respondentibus: *Deo grátias.*

208. Denique Episcopus a cathedra recedens, mitra et baculo utens, altare pro opportunitate osculatur; altare salutant etiam presbyteri et qui sunt in presbyterio. Ad secretarium revertuntur omnes processionaliter, eodem ordine quo venerunt.

CAPUT II

DE VESPERIS FORMA SIMPLICIORE CELEBRATIS

209. Etiam cum Episcopus Vesperis præsidet extra maiores sollemnitates, vel quando minor est concursus populi et cleri, vel in aliqua ecclesia parœciali, præstat ut adsint saltem aliqui presbyteri qui convenienter superpelliceum super vestem talarem vel albam et pluviale induunt; duo vel saltem unus diaconus, qui albam et dalmaticam sumit; ipse vero Episcopus vestibus induitur ut supra n. 192, vel saltem stola et pluviali super albam.

Omnia peraguntur ut supra nn. 191-208 describitur, debitis cum aptationibus.

210. Quando vero Episcopus in aliqua parœcia vel alia ecclesia conventui minori interest, potest præsidere Vesperis e sua sede, habitu chorali indutus,[5] aliquibus ministris assistentibus.

211. Si Episcopus participat celebrationem Vesperarum cui præsidet presbyter, ipse benedictionem profert ante dimissionem populi.

CAPUT III

DE LAUDIBUS MATUTINIS

212. Laudes matutinæ eodem ritu quo Vesperæ celebrari possunt, exceptis iis quæ sequuntur.

213. Si præponitur Invitatorium, loco versus: *Deus, in adiutórium,* Episcopus Laudes matutinas incipit versu: *Dómine, lábia mea apéries,* cui respondetur: *Et os meum annuntiábit laudem tuam.* Dum dicitur hic versus, omnes signo crucis os sibi signant. Deinde, omnibus stantibus, cantatur psalmus invitatorius, interiecta antiphona, ut describitur in libro Liturgiæ Horarum.

Finito psalmo invitatorio et repetita de more antiphona, cantatur hymnus et celebratio Laudum matutinarum prosequitur sicut de celebratione Vesperarum dictum est.

[5] Cf. supra n. 63.

CAPUT IV

DE OFFICIO LECTIONIS

214. Officio lectionis Episcopus præest e cathedra habitu chorali indutus. Ipse inchoat Officium versu: *Dómine, lábia mea* vel: *Deus, in adiutórium,* secundum rubricas; hymni, antiphonæ et psalmi inchoantur a cantore; lectiones a lectore proferuntur; Episcopus in fine cantat vel dicit orationem conclusivam, et, si fit dimissio, populum benedicit, ut infra nn. 1120-1121 describitur.

215. Si Vigilia protracta celebratur, Evangelium Resurrectionis die dominica, vel aliud Evangelium ceteris diebus, sollemniter annuntiatur a diacono alba, stola et dalmatica induto, qui prius benedictionem ab Episcopo petit, et quem comitantur duo acolythi cum candelis accensis et turiferarius cum turibulo fumiganti, in quo incensum ab Episcopo impositum et benedictum est.

Pro opportunitate Episcopus homiliam facit.

Post hymnum *Te Deum,* si dicendus est, Episcopus cantat vel dicit orationem conclusivam et, si fit dimissio, benedictionem impertitur.

216. Quoties Vigilia protracta cum populi concursu et forma sollemniore celebratur, Episcopus, presbyteri et diaconi vestibus indui possunt sicut pro Vesperis. Episcopus, durante psalmodia, sedet in cathedra et accipit mitram; ad audiendum vero Evangelium mitram deponit, surgit et accipit baculum, quem retinet etiam dum cantatur hymnus *Te Deum.* Cetera fiunt ut supra n. 214 indicatur.

217. Nocte Nativitatis Domini, feria VI in Passione Domini et Sabbato Sancto, quantum fieri potest, celebretur Officium lectionis cum populi participatione, præsente vel etiam præsidente Episcopo, ritu superius nn. 214-216 descripto.

CAPUT V

DE TERTIA, SEXTA ET NONA

218. Tertiæ, Sextæ et Nonæ, sive in ecclesia cathedrali sive alibi, Episcopus præsidere potest habitu chorali indutus,[6] inchoans Horam versu *Deus in adiutórium,* et eam concludens oratione.

Ad psalmodiam omnes vel sedent vel stant, secundum locorum consuetudinem. Post psalmodiam, sedentibus omnibus, lector loco apto stans legit lectionem brevem, quam sequitur versus a cantoribus inchoatus, omnibus stantibus et respondentibus. Benedictio non impertitur. Hora vero concluditur acclamatione: *Benedicámus Dómino,* omnibus respondentibus: *Deo grátias.*

CAPUT VI

DE COMPLETORIO

219. Cum Episcopus Completorio in ecclesia præsidet, habitum choralem induit,[7] aliquibus ministris assistentibus. Ipse Horam inchoat versu: *Deus, in adiutórium.*

Conscientiæ discussio, si habetur, vel fit silentio vel inseritur in actum prænitentialem.

Ad psalmodiam omnes vel sedent vel stant, secundum locorum consuetudinem. Post psalmodiam, sedentibus omnibus, lector, loco apto stans, legit lectionem brevem, quam sequitur responsorium: *In manus tuas.* Deinde dicitur antiphona cantici evangelici: *Nunc dimíttis.* Quo incipiente omnes surgunt et signant se signo crucis.

Oratio conclusiva dicitur ab Episcopo, qui deinde participantibus benedicit, dicens: *Noctem quiétam.*

220. Hora concluditur antiphona B. Mariæ Virginis, sine oratione.

[6] Cf. supra n. 63.
[7] Cf. supra n. 63.

CAPUT VII

DE CELEBRATIONIBUS VERBI DEI

PRÆNOTANDA

221. « Divinas Scripturas sicut et ipsum Corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum, maxime in sacra Liturgia, non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitæ sumere atque fidelibus porrigere »[8] immo quævis liturgica celebratio innititur atque fulcitur verbo Dei.[9] Studeat ergo Episcopus ut omnes prorsus fideles apta spiritali præparatione præhabita, sensum acquirant auscultandi et meditandi Christi mysterium, quod in Vetere et Novo Testamento proponitur.

222. Sacræ verbi Dei celebrationes ideo perutiles sunt in vita sive singulorum sive communitatum, ad spiritum et vitam spiritalem fovendam, ad intensiorem amorem verbi Dei instituendum et ad celebrationem magis fructuosam sive Eucharistiæ sive aliorum sacramentorum peragendam.

223. Convenit proinde ut verbi Dei celebrationes præsertim in sollemniorum festorum pervigiliis, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimæ atque dominicis et diebus festis celebrentur, Episcopo præsidente, in ecclesia præsertim cathedrali.

DESCRIPTIO CELEBRATIONIS

224. Celebrationes verbi Dei rationem liturgiæ verbi in Missa præ se ferant.

225. Episcopus, receptus modo supra n. 79 descripto, in secretario vel alio opportuno loco induit super albam crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis et, de more, accipit mitram et baculum. Ei assistunt duo diaconi, vestibus liturgicis sui ordinis induti. Diaconis tamen deficientibus, Episcopo assistunt duo presbyteri alba vel superpelliceo super veste talari induti.

226. Post ritus initii (cantum, salutationem et orationem) una vel plures lectiones e Sacra Scriptura proferuntur, cantibus vel psalmis vel silentii momentis interpositis, quæ per homiliam fidelibus congregatis explicantur et ad eos applicantur.

[8] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Divina Revelatione, *Dei Verbum*, n. 21.
[9] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda*, n. 3.

Post homiliam, silentium ad meditandum verbum Dei opportune servetur. Deinde cœtus fidelium uno corde et una voce oret, per precem aliquam litanicam vel alio modo apto ad participationem promovendam. Postremo semper oratio dominica proferatur.

Episcopus, qui congregationi præest, concludit oratione et populo benedicit ut infra nn. 1120-1121 dicitur.

Deinde unus e diaconis vel ministris populum dimittit, dicens: *Ite in pace,* omnibus respondentibus: *Deo grátias.*

PARS IV

DE CELEBRATIONIBUS MYSTERIORUM DOMINI PER ANNI CIRCULUM

DE CELEBRATIONIBUS MYSTERIORUM DOMINI PER ANNI CIRCULUM

PRÆNOTANDA

227. « Pia mater Ecclesia suum esse ducit Sponsi sui divini opus salutiferum, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrare. In unaquaque hebdomada, die quam Dominicam vocavit, memoriam habet Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, sollemnitate maxima Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentat. Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicat, ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatæ spei et adventus Domini.

Mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo præsentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur ».[1]

De die dominica

228. « Primo uniuscuiusque hebdomadæ die, quæ dies Domini seu dies dominica nuncupatur, Ecclesia, ex traditione apostolica, quæ originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, mysterium paschale celebrat ».

Cum dies dominica nucleus et fundamentum sit anni circuli per quod Ecclesia Christi totum mysterium explicat, suam cedit celebrationem solummodo sollemnitatibus necnon festis Domini in calendario generali inscriptis, ac excludit per se assignationem perpetuam alius celebrationis, præter festum S. Familiæ, Baptismatis Domini, sollemnitatem Ss.mæ Trinitatis et D.N.I.C. universorum Regis.

Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ super omnia festa Domini et super omnes sollemnitates præcedentiam habent.[2]

229. Curet ergo Episcopus ut in sua diœcesi dies dominica uti primordialis dies festus pietati fidelium proponatur et inculcetur, ita ut etiam fiat dies lætitiæ et vacationis ab opere.[3]

Quapropter invigilet Episcopus ut ea quæ a Concilio Vaticano II

[1] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 102.
[2] Cf. Normæ universales de anno liturgico et de calendario, nn. 4-6.
[3] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 106.

et a libris liturgicis instauratis de peculiari natura dominicæ celebrationis statuta sunt, cum fidelitate et pietate serventur, præsertim quoad dies thematibus peculiaribus dicatos, qui sæpe sæpius dominicis peraguntur, ex. gr. pro pace et iustitia servanda, pro vocationibus, pro evangelizatione populorum. Iis in casibus liturgia sit de dominica; aliqua mentio thematis quod proponitur fieri potest sive cantibus, sive monitionibus, sive homilia et oratione universali.

In dominicis autem « per annum » sumi potest etiam una lectio, ex iis quæ in Lectionario proponuntur, peculiari themati illustrando apta. Ubi tamen in dominicis « per annum » peculiaris celebratio circa quoddam thema peragitur, de mandato vel licentia Ordinarii loci, eligi potest Missa pro variis necessitatibus, ex iis quæ in Missali Romano exstant.

230. Mutationes temporibus novissimis in mores sociales inductæ vim habuerunt ad calendarium liturgicum diversimode conficiendum: qua de re nonnullae sollemnitates de præcepto quibusdam in regionibus suppressæ sunt, quorum aliquæ, de mysterio Domini in calendario generali inscriptæ, in sequentem dominicam translatæ sunt, hac ratione:

a) Epiphania, in dominicam a die 2 ad diem 8 ianuarii occurrentem;

b) Ascensio, in dominicam VII Paschæ;

c) sollemnitas Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, in dominicam post Ss.mam Trinitatem.

Quoad alias celebrationes Domini, B. Mariæ Virginis et Sanctorum quæ infra hebdomadam occurrunt et quæ amplius non sunt de præcepto servandæ, curet Episcopus ut populus christianus ipsas cum amore celebrare pergat, ita ut etiam in hebdomada fideles gratiam salutis frequenter attingere possint.

De anno liturgico

231. Liturgici anni celebratio peculiari sacramentali vi et efficacia pollet eo quod ipse Christus est qui in suis mysteriis, vel in Sanctorum, præcipue vero Matris suæ, memoriis, immensæ misericordiæ iter pergit, ita ut christifideles Redemptionis mysteria non modo commemorent ac meditentur sed ea attingant, cum eis communicent ac per eadem vivant.[4]

232. Studeat ergo Episcopus ut fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini et ad anni liturgici sacra tempora spiritali

[4] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. Motu proprio datas, *Mysterii paschalis*, 14 februarii 1969: A.A.S. 61 (1969), pp. 223-224; etiam: Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*, 20 novembris 1947: A.A.S. 39 (1947), p. 580.

sensu observanda, ita ut quod in illis celebratur ac ore profertur, mente credatur et quod mente creditur, in privatos et publicos mores inducatur.[5]

233. Præter celebrationes liturgicas quibus constat annus liturgicus, adsunt in multis regionibus populares usus piaque exercitia. Inter quæ Episcopus pro suo munere pastorali ea magni faciat quæ conferant ad fovendam pietatem, devotionem et Christi mysteriorum intellegentiam, atque curet ut « sacræ Liturgiæ congruant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant, utpote quæ natura sua iisdem longe antecellat ».[6]

[5] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 108; Cf. etiam Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*, 20 novembris 1947: A.A.S. 39 (1947) p. 577.
[6] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 13.

CAPUT I

DE TEMPORE ADVENTUS ET NATIVITATIS DOMINI

234. Post annuam mysterii paschalis celebrationem, nihil antiquius habet Ecclesia quam memoriam Nativitatis Domini et primarum eius manifestationum recolere: quod fit tempore Nativitatis.[7]

235. Hæc autem memoria præparatur tempore Adventus, quod duplicem indolem habet: est enim tempus præparationis ad sollemnia Nativitatis, in quibus primus Dei Filii adventus ad homines recolitur, ac simul tempus quo per hanc recordationem mentes diriguntur ad exspectationem secundi Christi adventus in fine temporum. His duabus rationibus, tempus Adventus se præbet ut tempus devotæ ac iucundæ exspectationis.[8]

236. Tempore Adventus organum aliaque musica instrumenta adhibeantur et altare floribus ornetur ea moderatione, quæ indoli huius temporis conveniat, quin tamen plenam lætitiam Nativitatis Domini præveniat.

Dominica *Gaudéte* (III Adventus) color rosaceus adhiberi potest.[9]

237. Sollemnitatem vero Nativitatis Domini, in qua celebratur mysterium Incarnationis, quo scilicet Verbum Dei humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, ut nos divinitatis suæ tribueret esse consortes, cum vero spiritu christiano pie observandam curet Episcopus.

238. Mos Vigiliam celebrandi ad inchoandam Nativitatis Domini sollemnitatem servandus et fovendus est secundum usum proprium uniuscuiusque Ecclesiæ.[10]

Valde igitur convenit ut in ecclesia cathedrali Episcopus ipse, quantum fieri potest, præsideat Vigiliæ protractæ, secundum normas quæ supra nn. 215-216 traduntur.

Si tamen nullum intervallum relinquitur inter Vigiliam et Missam, Episcopus et presbyteri induti esse possunt sicut ad Missam; post vero Evangelium Vigiliæ vel, si non protrahitur Vigilia, post responsorium, loco *Te Deum* cantatur: *Glória in excélsis* et statim dicitur collecta Missæ, omissis ritibus initialibus et, pro opportunitate, *Kýrie*.

[7] Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 32.
[8] Cf. *ibidem*, nn. 32, 39.
[9] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 308 f.; S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 66: A.A.S. 59 (1967), p. 319.
[10] Cf. Liturgia Horarum, *Institutio generalis*, n. 71.

239. Secundum antiquissimam traditionem Romanam, die Nativitatis Domini Missa ter celebrari potest, scilicet, in nocte, in aurora et in die, servata temporis veritate.[11]

240. Antiqua sollemnitas Epiphaniæ Domini inter summas festivitates totius anni liturgici recensetur, cum ipsa celebret, in Puero de Maria nato, manifestationem Illius, qui est Filius Dei, Messias Iudæorum et Lumen Gentium.

Sive dies festus sit de præcepto servandus sive in sequentem dominicam transferatur, Episcopo curæ erit hanc sollemnitatem modo convenienti celebrare. Quapropter:

— luminaria opportune multiplicabuntur;

— iuxta consuetudinem loci, cantato Evangelio, unus e diaconis, vel aliquis canonicus aut beneficiatus aut alius paratus pluviali, ascendet ambonem et ibidem populo publicabit festa mobilia anni currentis;

— servabitur vel instaurabitur, iuxta consuetudinem loci, ac traditum morem, peculiaris oblatio donorum;

— monitionibus et homilia illustrabitur sensus plenior huius diei « tribus miraculis » ornati:[12] adoratione Pueri ex parte Magorum, Christi baptismate et nuptiis in Cana factis.

[11] Cf. Missale Romanum, die 25 decembris post Missam Vigiliæ.
[12] Cf. Liturgia Horarum, in Epiphania Domini, ad II Vesperas, antiphona ad Magnificat.

CAPUT II

DE FESTO PRÆSENTATIONIS DOMINI

241. Hac die obviam Domino occurrunt christifideles, lumina portantes et illi acclamantes, una cum Simeone, qui « Lumen ad revelationem gentium » Christum agnovit.

Edoceantur ergo ut filii lucis ambulare in tota vita sua, quia omnibus debent lumen Christi præbere, facti ipsi lucernæ ardentes in operibus suis.

FORMA PRIMA: PROCESSIO

242. Hora competenti fit collecta in ecclesia minore vel alio loco apto extra ecclesiam, ad quam processio tendit. Fideles tenent in manibus candelas non accensas.

243. Episcopus loco aptiore induit paramenta albi coloris pro Missa requisita. Loco tamen casulæ induere potest pluviale, quod deponit expleta processione. Mitra et baculo assumptis, cum ministris et, si casus fert, cum concelebrantibus vestibus indutis pro Missa, locum benedictionis candelarum adit.

Dum accenduntur candelæ, cantatur antiphona: *Ecce Dóminus noster,* vel alius cantus aptus.[13]

244. Cum Episcopus ad locum benedictionis candelarum pervenerit, cantu absoluto, baculum et mitram deponit, et ad populum conversus, dicit: *In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.* Postea populum salutat, dicens: *Pax vobis,* et monitionem introductoriam profert. Potest tamen, pro opportunitate, hanc monitionem diacono vel uni e concelebrantibus committere.

245. Post monitionem benedicit candelas dicens, manibus extensis, orationem, ministro librum tenente, et eas aspergit aqua benedicta, nihil dicens. Iterum sumit mitram, atque incensum imponit et benedicit ad processionem. Tandem accipit a diacono candelam accensam, quam in processione defert.

246. Clamante diacono: *Procedámus in pace ad occurréndum Dómino,* incipit processio ad ecclesiam ubi Missa est celebranda. Præcedit turiferarius cum turibulo fumiganti, deinde acolythus defe-

[13] Cf. Missale Romanum, die 2 februarii In Præsentatione Domini.

rens crucem, medius inter acolythos candelabra deferentes cum candelis accensis. Sequuntur clerus, diaconus deferens librum Evangeliorum, alii diaconi si adsint, concelebrantes, minister deferens baculum Episcopi et deinde Episcopus cum mitra, candelam tenens; paulisper retro Episcopum duo diaconi ei assistentes; postea ministrantes ad librum et mitram, denique fideles. Omnes, sive ministri sive fideles, candelas gestant.

Progrediente processione canitur antiphona: *Lumen ad revelatiónem géntium* cum cantico: *Nunc dimíttis*, vel alius cantus aptus.

247. Ingrediente processione in ecclesiam, cantatur introitus Missæ. Episcopus cum ad altare pervenerit, illud veneratur et, pro opportunitate, incensat. Deinde pergit ad cathedram, ubi, deposito pluviali, si illud adhibuerit in processione, et assumpta casula, post cantatum hymnum *Glória in excélsis*, dicit de more collectam. Missa prosequitur more consueto.

Vel, alio modo, si id opportunius videatur:

Episcopus, cum ad altare pervenerit, candelam tradit diacono, deponit mitram et pluviale, si illud adhibuerit in processione, assumit casulam atque altare veneratur et incensat. Deinde pergit ad cathedram ubi, omissis ritibus initialibus Missæ ac decantato hymno *Glória in excélsis*, profert de more collectam. Missa deinde prosequitur modo consueto.[14]

FORMA ALTERA: INTROITUS SOLLEMNIS

248. Sicubi processio fieri nequit, fideles congregantur in ecclesia, candelas in manibus tenentes. Episcopus, indutus sacris vestibus coloris albi, cum ministris et, si adsint, cum concelebrantibus vestibus indutis pro Missa, necnon cum aliqua deputatione fidelium accedit ad locum aptum, vel ante portam vel in ipsa ecclesia, ubi saltem magna pars fidelium ritum commode participare possit.

Cum Episcopus ad locum pro benedictione candelarum statutum pervenerit, accenduntur candelæ, dum canitur antiphona *Ecce Dóminus* vel alius cantus aptus.

Deinde omnia observantur ut supra nn. 244-247 dictum est.[15]

[14] Missale Romanum, die 2 februarii In Præsentatione Domini.
[15] *Ibidem.*

CAPUT III

DE TEMPORE QUADRAGESIMÆ

249. Annua quadragesimalis observatio tempus acceptabile est, quo ad montem sanctum Paschatis ascenditur.

Tempus enim quadragesimale, duplici sua indole, et catechumenos et fideles componit ad celebrandum paschale mysterium. Catechumeni quidem tam electione et scrutiniis quam catechesi ad sacramenta Initiationis christianæ ducuntur; fideles vero intensius verbum Dei audientes et orationi vacantes per pænitentiam ad renovandas baptismi promissiones præparantur.[16]

250. Cordi ergo sit Episcopo eam institutionem catechumenorum fovere, de qua in n. 406, et ritui electionis seu inscriptionis nominis in quadragesimali liturgia præsidere, ut infra nn. 408-419 indicatur, atque, iuxta adiuncta, traditioni symboli et orationis dominicæ, de qua in nn. 420-424 præesse.

251. Fidelium animis catechesi inculcetur, una cum consectariis socialibus peccati, ea genuina pænitentiæ natura quæ peccatum, prout est offensa Dei, detestatur; neque prætermittantur partes Ecclesiæ in actione pænitentiali, atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

Pænitentia vero temporis quadragesimalis non tantum sit interna et individualis, sed externa quoque et socialis, atque ad opera misericordiæ in bonum fratrum dirigatur.[17]

Fidelibus intensior et fructuosior participatio commendetur in liturgia quadragesimali et celebrationibus pænitentialibus. Moneantur præsertim ut, iuxta legem et traditiones Ecclesiæ, ad sacramentum Pænitentiæ hoc tempore accedant, ut valeant purificatis animis gaudia dominicæ Resurrectionis participare. Valde convenit ut sacramentum Pænitentiæ, tempore Quadragesimæ, forma sollemniore celebretur ut in Rituali Romano describitur.[18]

252. Hoc tempore altare floribus ornari prohibetur, ac sonus instrumentorum permittitur tantum ad cantum sustentandum.

Excipiuntur tamen dominica *Lætáre* (IV Quadragesimæ) atque sollemnitates et festa. Dominica *Lætáre* color rosaceus adhiberi potest.[19]

[16] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 109; Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 27.

[17] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 105, 109-110.

[18] Cf. infra nn. 622-632.

[19] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 308 f; S. Congr. Rituum, Instr. *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 66: A.A.S. 59 (1967), p. 319.

CAPUT IV

DE FERIA IV CINERUM

253. Feria IV ante dominicam I Quadragesimæ, christifideles, cineres accipientes, ingrediuntur tempus purificandis animis institutum. Hoc pænitentiæ signo, traditione biblica[20] prodito et in consuetudinibus Ecclesiæ ad nos usque servato, condicio hominis peccatoris significatur, qui culpam suam coram Domino exterius confitetur et ita exprimit voluntatem interioris conversionis, spe ductus ut Dominus sit illi benignus et misericors, patiens et multæ misericordiæ. Hoc eodem signo iter incipit conversionis, quod metam suam attinget per sacramenti Pænitentiæ celebrationem diebus ante Pascha occurrentibus.

254. In Missa huius diei Episcopus benedicit et imponit cineres in ecclesia cathedrali vel alia ecclesia aptiore, respectu pastorali habito.

255. Episcopus, mitra simplici et baculo utens, ingressu facto in ecclesiam cum presbyteris, diaconis aliisque ministris more consueto, altare veneratur et incensat et accedit ad cathedram, unde salutat populum. Deinde, omisso actu pænitentiali et, pro opportunitate, *Kýrie*, dicit collectam.

256. Post Evangelium et homiliam, Episcopus stans sine mitra, manibus iunctis, populum ad orandum invitat et, post brevem orationem in silentio, cineres benedicit, quas acolythus ante ipsum tenet, dicens, manibus extensis, orationem, ut in Missali. Postea aspergit cineres aqua benedicta, nihil dicens.

257. Benedictione expleta, ille cui competit, vel concelebrans vel diaconus, cineres imponit Episcopo sese inclinanti, dicens: *Pænitémini et crédite Evangélio*, vel: *Meménto, homo, quia pulvis es, et in púlverem revertéris.*

258. Deinde Episcopus mitram reassumit, et sedens in cathedra vel stans, imponit cineres concelebrantibus, ministris et fidelibus, adiutus, si casus fert, ab aliquibus concelebrantibus vel diaconis.

Interim canitur psalmus: *Miserére mei, Deus* cum una ex antiphonis: ex. gr. *Dele, Dómine,* vel responsorium: *Emendémus in mélius*, aut alius cantus aptus.

259. Expleta cinerum impositione, Episcopus lavat manus et procedit ad orationem universalem, ac Missam prosequitur modo consueto.

[20] Cf. 2 Sam 13, 19; Est 4, 1; Iob 42, 6; 1 Mac 3, 47; 4, 39; Lam 2, 10.

CAPUT V

DE CONGREGATIONIBUS QUADRAGESIMALIBUS

260. Omnes quadragesimalis observantiæ aspectus eo etiam contendant ut vita Ecclesiæ localis clariore in luce ponatur ac foveatur. Quapropter valde quoque commendatur, ut tradita forma congregationis Ecclesiæ localis ad modum « stationum » Romanarum, saltem in maioribus civitatibus et modo singulis locis aptiore, servetur et foveatur. Huiusmodi autem fidelium cœtus congregari poterunt, præsertim diœcesis Pastore præsidente, diebus dominicis aliisve infra hebdomadam opportunioribus, aut apud Sanctorum sepulcra, aut in præcipuis urbis ecclesiis vel sanctuariis, aut etiam quibusdam in locis peregrinationis, quæ in diœcesi magis frequentantur.[21]

261. Si ante Missam quæ in iis congregationibus celebratur, iuxta locorum et rerum adiuncta fit processio, tunc habetur collecta in ecclesia minore vel alio loco apto extra ecclesiam, ad quam processio tendit.

Episcopus loco aptiore induit vestes sacras violacei coloris pro Missa requisitas. Loco casulæ induere potest pluviale, quod deponit expleta processione. Assumit mitram simplicem et baculum, ac cum ministris atque, si casus fert, cum concelebrantibus vestibus indutis pro Missa, locum congregationis adit, dum canitur cantus congruus.

Expleto cantu, Episcopus baculum et mitram dimittit et populum salutat. Deinde, facta brevi monitione sive a seipso sive ab uno e concelebrantibus sive a diacono, ipse dicit, manibus extensis, collectam de mysterio S. Crucis vel pro remissione peccatorum, vel pro Ecclesia, præsertim locali, vel unam ex orationibus super populum quæ in Missali exstant. Deinde Episcopus, assumpta mitra, incensum, pro opportunitate, imponit in turibulum et clamante diacono: *Procedámus in pace,* ordinatur processio ad ecclesiam dum cantantur Litaniæ Sanctorum. Apto tamen loco inseri possunt invocationes S. Patroni vel Fundatoris et Sanctorum Ecclesiæ localis. Cum processio ad ecclesiam pervenerit, omnes locis sibi assignatis disponuntur. Episcopus, cum ad altare pervenerit, deponit baculum et mitram atque altare veneratur et incensat. Deinde pergit ad cathedram, ubi deposito pluviali, si illud adhibuit in processione, et omissis ritibus initialibus et, pro opportunitate, *Kýrie* profert collectam Missæ.

[21] Cf. Missale Romanum, Rubrica initio temporis Quadragesimæ.

Missa deinde prosequitur more solito.

Episcopus autem potest, si id opportunius videatur, pluviale deponere et casulam assumere, cum ad altare pervenerit et antequam illud veneretur.

262. In iis congregationibus, loco Missæ, haberi potest etiam aliqua celebratio verbi Dei modo supra nn. 222-226 descripto, vel ad modum celebrationum pænitentialium, quæ pro tempore Quadragesimæ in Rituali Romano proponuntur (cf. infra nn. 640-643).

CAPUT VI

DE DOMINICA IN PALMIS DE PASSIONE DOMINI

263. Dominica in palmis de Passione Domini Ecclesia ingreditur mysterium Domini sui crucifixi, sepulti et resurgentis qui, intrans Ierusalem, suæ maiestatis præsagium dedit. Christiani portant ramos in signum regalis triumphi quem, succumbendo cruci, Christus obtinuit. Dicente Apostolo: « Si tamen compatimur, ut et conglorificemur »,[22] nexus inter utrumque aspectum mysterii paschalis eluceat in celebratione et cathechesi huius diei.

Forma prima: Processio

264. Hora competenti fit collecta in ecclesia minore vel alio loco apto extra ecclesiam, ad quam processio tendit.

Fideles ramos in manibus tenent.[23]

265. Episcopus loco aptiore induit paramenta rubri coloris pro Missa. Loco casulæ tamen induere potest pluviale, quod deponit expleta processione. Assumit mitram et baculum, ac cum ministris atque, si casus fert, cum concelebrantibus vestibus indutis pro Missa, locum benedictionis ramorum adit, dum cantatur antiphona: *Hosánna* vel alius cantus congruus.

266. Expleto cantu, Episcopus baculum et mitram dimittit, et, stans, ad populum conversus, dicit: *In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.* Postea populum salutat, dicens: *Pax vobis,* atque monitionem introductoriam profert. Potest tamen, pro opportunitate, eam diacono vel uni e concelebrantibus committere.

267. Post monitionem, Episcopus, manibus extensis, dicit orationem super ramos eosque aspergit aqua benedicta, nihil dicens.

268. Post benedictionem ramorum, antequam Evangelium proferatur, ramos concelebrantibus, ministris et aliquibus fidelibus distribuere potest. Ipse tamen ramum sibi præparatum a diacono vel ab uno e concelebrantibus accipit, ac tradit ministro dum distributionem ramorum ipse peragit. Interea cantus congruus profertur.

269. Deinde Episcopus incensum ponit in turibulum, benedicit diaconum qui Evangelium proclamabit, et ramum suum accipit, quem

[22] Rom 8, 17.
[23] Cf. Missale Romanum, Dominica in palmis de Passione Domini, n. 2.

tenet dum Evangelium profertur. Si pro opportunitate homiliam facit, ramum dimittit atque mitram et baculum accipit, nisi ipsi aliter videatur.

270. Ad inchoandam processionem, ab Episcopo vel diacono fieri potest monitio: *Imitémur, fratres caríssimi* verbis ut in Missali Romano vel similibus expressa, et incipit processio ad ecclesiam ubi Missa est celebranda. Præcedit turiferarius cum turibulo fumiganti, deinde acolythus deferens crucem, ramis palmarum ornatam iuxta locorum consuetudinem, medius inter duos alios acolythos cum candelis accensis. Sequuntur clerus, diaconus deferens librum Evangeliorum, alii diaconi, si adsint, librum historiæ Passionis deferentes; concelebrantes, minister deferens baculum Episcopi et deinde Episcopus cum mitra, ramum tenens; paulisper retro Episcopum, duo diaconi ei assistentes; postea ministrantes ad librum et mitram; denique fideles. Omnes, sive ministri sive fideles, ramos gestant.

Progrediente processione, canuntur a schola et populo cantus, qui in Missali indicantur vel alii apti.

Intrante processione in ecclesiam, canitur responsorium: *Ingrediénte Dómino,* vel alius cantus qui loquatur de ingressu Domini.[24]

271. Episcopus, cum ad altare pervenerit, ramum tradit diacono, deponit mitram atque altare veneratur et incensat. Deinde pergit ad cathedram ubi pluviale, si illud adhibuit in processione, deponit, et assumit casulam. Omissis ritibus initialibus Missæ, et, pro opportunitate, *Kýrie* ad complendam processionem dicit collectam Missæ.

Episcopus autem potest, si id opportunius videatur, pluviale deponere et casulam assumere, cum ad altare pervenerit et antequam illud veneretur.

Forma secunda: Introitus sollemnis

272. Ubi processio extra ecclesiam fieri nequit, benedictio ramorum peragi potest forma introitus sollemnis.

Fideles congregantur vel ante portam ecclesiæ vel in ipsa ecclesia, ramos in manibus tenentes. Episcopus et ministri et aliqua deputatio fidelium accedunt ad locum ecclesiæ, ubi saltem maior pars fidelium ritum conspicere possit.

Dum Episcopus ad locum dictum accedit, cantatur antiphona *Hosánna,* vel alius cantus idoneus. Fiunt deinde omnia ut in nn. 266-271 dictum est.[25]

[24] Cf. Missale Romanum, loc. cit., n. 10.
[25] Cf. Missale Romanum, loc. cit., nn. 12, 13, 14 et 15.

Historia Passionis

273. Incepto cantu ad Evangelium, omnes, excepto Episcopo, surgunt. Incensum et luminaria ad historiam Passionis non adhibentur. Diaconi, qui historiam Passionis lecturi sunt, benedictionem petunt atque accipiunt ut supra n. 140 dictum est. Deinde Episcopus, deposita mitra, surgit, baculum accipit et legitur historia Passionis. Salutatio populi et libri signatio omittuntur.

Post nuntiatam mortem Domini, omnes genuflectunt, et pausatur aliquantulum. In fine dicitur: *Verbum Dómini,* sed osculum libri omittitur.

Historia Passionis expleta, Episcopus brevem homiliam facit. Qua finita, spatium aliquod silentii, pro opportunitate, servari potest.

Missa deinde prosequitur more solito.

CAPUT VII

DE MISSA CHRISMATIS

274. Hæc Missa, quam Episcopus cum suo presbyterio concelebrat, et intra quam sanctum chrisma consecrat aliaque olea benedicit, est veluti manifestatio communionis presbyterorum cum proprio Episcopo.[26]

Sancto chrismate ab Episcopo consecrato noviter baptizati liniuntur iique confirmandi consignantur, ac manus presbyterorum et capita Episcoporum, ecclesia et altaria in dedicatione unguntur. Oleo autem catechumenorum ad Baptismum præparantur et disponuntur ipsi catechumeni. Oleo denique infirmorum ægroti suis in infirmitatibus allevantur.

Ad hanc vero Missam congregantur et in ea concelebrant presbyteri, quippe in conficiendo chrismate testes et cooperatores sui Episcopi, cuius sacri muneris in populo Dei exstruendo, sanctificando et regendo sunt participes,[27] sicque nitide manifestatur unitas sacerdotii et sacrificii Christi in Ecclesia perseverantis.

Quo melius autem significetur unitas presbyterii, curet Episcopus ut adsint e diversis regionibus diœcesis presbyteri concelebrantes.[28]

Qui vero forte non concelebrant, in hac Missa chrismatis sub utraque specie communicare possunt.

275. Consecratio chrismatis ac benedictio olei infirmorum et olei catechumenorum de more fit ab Episcopo feria V Hebdomadæ Sanctæ, in Missa propria horis matutinis celebranda.

Si vero eo die clerus et populus difficilius congregari possunt cum Episcopo, hæc benedictio anticipari potest alio die, sed prope Pascha, Missa propria semper adhibita.[29]

276. Ob eius significationem et momentum pastorale in vita diœcesis, Missa chrismatis ritu Missæ stationalis celebretur in ecclesia cathedrali vel, propter rationes pastorales, in alia ecclesia.

277. Iuxta morem in liturgia latina traditum, benedictio olei infirmorum fit ante finem Precis eucharisticæ, benedictio autem olei catechumenorum et consecratio chrismatis post Communionem.

[26] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 157; *Ibidem*, Introductio ad Missam chrismatis.

[27] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de Presbyterorum ministerio et vita, *Presbyterorum Ordinis*, n. 2.

[28] Cf. Missale Romanum, Feria V Hebdomadæ Sanctæ, Introductio ad Missam chrismatis.

[29] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma, nn 9-10.

Attamen, propter rationes pastorales, licet universum ritum benedictionis post liturgiam verbi peragi.[30]

278. Ad oleorum benedictionem, præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem sunt necessaria, hæc parentur:

a) *In secretario vel alio loco apto:*

— ampullæ oleorum;
— aromata pro chrismate conficiendo, si Episcopus ipse vult mixturam in actione liturgica perficere;
— panis, vinum et aqua pro Missa, quæ omnia una cum oleis ante præparationem donorum deferuntur.

b) *In presbyterio:*

— Pontificale Romanum;
— mensa ad ampullas oleorum collocandas, et ita disponenda ut universa actio sacra a populo bene conspici et participari possit;
— sedes pro Episcopo, si benedictio ante altare fiat.[31]

Descriptio ritus

279. Præparatio Episcopi, concelebrantium et aliorum ministrorum, eorumque ingressus in ecclesiam, necnon omnia quæ habentur ab initio Missæ usque ad Evangelium inclusive, peraguntur ut in ritu Missæ stationalis indicatur.[32]

280. In homilia Episcopus, gerens mitram et baculum et sedens in cathedra, nisi ipsi aliter videatur, presbyteros hortatur ad fidelitatem in suo munere servandam, eosque invitat ad promissiones suas sacerdotales publice renovandas.

Homilia autem expleta, Episcopus presbyteros stantes interrogat ad renovationem promissionum sacerdotalium accipiendam.[33]

281. Episcopus deponit baculum et mitram atque surgit. Symbolum non dicitur. Fit oratio universalis, in qua fideles invitantur ad orandum pro suis pastoribus, ut in Missali.

282. Tunc, Episcopo sedente in cathedra cum mitra, diaconi (vel ipsis deficientibus, aliqui presbyteri), ministri ad olea deferenda designati, necnon fideles, qui panem et vinum cum aqua deferunt, accedunt ordinatim ad secretarium vel ad locum ubi olea et aliæ

[30] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma, nn. 11-12.
[31] Cf. *ibidem*, n. 13.
[32] Cf. *ibidem*, n. 15.
[33] Cf. Missale Romanum, Feria V Hebdomadæ Sanctæ, Introductio ad Missam chrismatis.

oblationes parata fuerunt. Revertentes autem ad altare. hoc ordine procedunt: primus, minister portans vas cum aromatibus, si Episcopus ipse velit commiscere chrisma; tum alius minister cum ampulla olei catechumenorum, si benedici debet; deinde alius cum ampulla olei infirmorum. Oleum pro chrismate ultimo loco a diacono vel presbytero defertur. Eos sequuntur ministri vel fideles qui panem, vinum et aquam ad Eucharistiam celebrandam deferunt.[34]

283. Processione per ecclesiam progrediente, schola, omnibus respondentibus, cantat hymnum *O Redémptor*, vel alium cantum aptum loco cantus ad offertorium.

284. Episcopus dona recipit ad cathedram vel loco opportuniore. Diaconus, ampullam pro sacro chrismate portans, eam Episcopo exhibet, dicens alta voce: *Oleum ad sanctum chrisma.* Episcopus eam accipit et tradit uni ex diaconis sibi ministrantibus, qui ipsam super mensam præparatam collocat. Idem fit ab iis qui ampullas olei infirmorum et catechumenorum portant.

Prior dicit: *Oleum infirmórum;* alter vero: *Oleum catechumenórum.* Quæ similiter ab Episcopo accipiuntur et a ministris super mensam paratam collocantur.[35]

Missa deinde prosequitur more solito, nisi universus ritus benedictionis immediate peragi debeat, ut infra n. 291 dicitur.

285. In fine Precis eucharisticæ, antequam Episcopus dicat: *Per quem hæc ómnia* in Prece eucharistica I, vel doxologiam: *Per ipsum* in aliis Precibus eucharisticis, is qui ampullam olei infirmorum detulit, ipsam ad altare portat et coram Episcopo sustinet, dum hic oleum infirmorum benedicit, proferens orationem: *Deus, totíus consolatiónis Pater.*

Benedictione expleta, ampulla olei infirmorum suo loco, super mensam paratam, iterum reponitur, et Missa procedit usque ad Communionem inclusive.[36]

286. Dicta oratione post Communionem, ampullæ cum oleo catechumenorum benedicendo et chrismate conficiendo collocantur a diaconis super mensam in medio presbyterii opportune dispositam.

287. Episcopus et concelebrantes ad mensam accedunt cum diaconis et ministris, ita ut Episcopus, stans ad populum conversus,

[34] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma, n. 16.
[35] Cf. *ibidem,* nn 17-18.
[36] Cf. *ibidem,* n. 20.

habeat circa se ex utraque parte concelebrantes in modum coronæ, dum diaconi cum ministris retro ipsum consistunt.

288. Omnibus ita dispositis, Episcopus procedit, si benedicendum est, ad benedictionem olei catechumenorum. Stans sine mitra. ad populum conversus, manibus extensis, dicit orationem: *Deus, plebis tuæ virtus et præsídium.*[37]

289. Deinde, nisi iam antea præparatum fuerit, sedet, accipit mitram et infundit aromata in oleum et conficit chrisma, nihil dicens.

290. Quo facto, surgit et, stans sine mitra, invitationem: *Orémus, fratres caríssimi* profert.

Tunc, pro opportunitate, halat super ampullam chrismatis.

Deinde, extensis manibus, unam ex orationibus consecrationis profert, qua durante, omnes concelebrantes, dum Episcopus dicit: *Te ígitur deprecámur,* manum dexteram ad chrisma extendunt usque ad finem orationis, nihil dicentes.[38]

291. Si ratio pastoralis suadet universum ritum benedictionis oleorum post liturgiam verbi peragere, proceditur hoc modo: ampullæ cum oleis infirmorum et catechumenorum benedicendis et chrismate conficiendo, postquam Episcopo sunt præsentatæ, collocantur a diaconis super mensam in medio presbyterii opportune dispositam, et ea servantur quæ supra nn. 283-284 et 287-290 describuntur. Quibus expletis, Missa prosequitur more solito inde a præparatione donorum usque ad orationem post Communionem.

292. Finita consecratione chrismatis, si hæc facta est post Communionem, secus vero expleta oratione post Communionem, Episcopus benedictionem impertit more solito; deinde imponit ac benedicit incensum et, dicto a diacono: *Ite, missa est,* ordinatur processio ad secretarium.

293. Antecedente turiferario cum turibulo fumiganti, olea benedicta a suis quæque ministris immediate post crucem deferuntur, schola et populo cantantibus aliquos versus hymni *O Redémptor,* vel alium cantum aptum.

294. In secretario, Episcopus opportune presbyteros moneat de oleis sacris tractandis et honorandis, necnon et diligenter conservandis.[39]

[37] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum et conficiendi chrisma, nn. 21-22.
[38] Cf. *ibidem,* nn. 23-25.
[39] Cf. *ibidem,* nn. 27-28.

CAPUT VIII

DE SACRO TRIDUO PASCHALI

295. « Cum humanæ redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus adimpleverit Christus præcipue per suum paschale mysterium, quo mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit, sacrum paschale Triduum Passionis et Resurrectionis Domini uti totius anni liturgici culmen effulget. Fastigium igitur, quod dies dominica habet in hebdomada, sollemnitas Paschæ habet in anno liturgico ».[40]

Sacrum etiam esto ieiunium paschale, feria VI in Passione Domini ubique celebrandum, et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ita ut, elato et aperto animo, ad gaudia dominicæ Resurrectionis perveniatur.[41]

296. Attenta proinde omnino peculiari dignitate horum dierum summoque momento spiritali et pastorali earum celebrationum in vita Ecclesiæ, maxime convenit Episcopum præsidere in sua ecclesia cathedrali Missæ in Cena Domini, Actioni liturgicæ feriæ VI in Passione Domini et Vigiliæ paschali, præsertim si in ea sacramenta Initiationis christianæ sunt celebranda. Præstat insuper Episcopum participare, quantum fieri potest, cum clero et populo Officium lectionis et Laudes matutinas feriæ VI in Passione Domini et Sabbati sancti.

[40] Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 18.
[41] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 110.

CAPUT IX

DE MISSA IN CENA DOMINI

PRÆNOTANDA

297. Hac Missa, quæ horis vespertinis feriæ V Hebdomadæ Sanctæ celebratur, Ecclesia incipit sacrum Triduum paschale, et studet cenam illam novissimam recolere, qua Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, suos qui erant in mundo usque ad finem diligens, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac Apostolis, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit.[42]

Memoria igitur fit hac Missa tum institutionis Eucharistiæ, seu memorialis Paschatis Domini, qua sacrificium novæ legis inter nos sub sacramenti signis perpetuatur; tum institutionis sacerdotii, quo Christi missio et sacrificium in mundo perpetuantur; tum caritatis qua Dominus usque ad mortem nos dilexit. Quæ omnia curet Episcopus per ministerium verbi fidelibus opportune proponere, ut tanta mysteria valeant pietate sua altius penetrare atque moribus et vita intensius vivere.

298. Episcopus, etsi mane Missam chrismatis iam celebraverit, cordi tamen habeat celebrare etiam Missam in Cena Domini cum plena participatione presbyterorum, diaconorum, ministrorum et fidelium circa ipsum.

Item sacerdotes, qui in Missa chrismatis iam concelebraverint, denuo concelebrare valent in Missa vespertina.[43]

299. Præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem requiruntur, hæc parentur:

a) *in opportuno presbyterii loco:*
- pyxis cum particulis consecrandis pro Communione diei sequentis;
- velum umerale;
- alterum turibulum cum navicula;
- intorticia et candelæ;

b) *in loco ubi lotio pedum fit:*
- sedes pro viris designatis;
- urceus aquæ et bacile;
- mantilia ad pedes extergendos;

[42] Conc. Trid., Sess. XXII, 17 sept. 1562, Doctr. *De ss. Missæ sacrif.*, c. 1: Concilium Tridentinum, *Diariorum, Actorum, Epistolarum, Tractatuum nova collectio*, ed. Soc. Gœrresianæ, t. VIII. *Actorum* pars V, *Friburgi Brisgoviæ*, 1919, p. 960.
[43] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 157, 158 a.

— gremiale linteum pro Episcopo;
— necessaria ad manus Episcopi abluendas;

c) *in sacello repositionis Ss.mi Sacramenti:*

— tabernaculum seu capsa repositionis;
— lumina, flores et alia opportuna ornamenta.

Descriptio ritus

300. Præparatio, ingressus in ecclesiam, atque liturgia verbi peraguntur uti moris est in Missa stationali.

Dum cantatur hymnus *Glória in excélsis,* pulsantur campanæ, eoque expleto silent usque ad Vigiliam paschalem, nisi Conferentia Episcoporum vel Episcopus diœcesis, pro opportunitate, aliud statuerit.[44]

Item eodem tempore organa aliaque musica instrumenta adhiberi possunt solum ad cantum sustentandum.

301. Post homiliam, in qua illustrantur potissima mysteria quæ hac Missa recoluntur, institutio scilicet sacræ Eucharistiæ et ordinis sacerdotalis necnon et mandatum Domini de caritate fraterna, proceditur, ubi ratio pastoralis id suadeat, ad lotionem pedum.

Viri selecti deducuntur a ministris ad sedilia loco apto parata. Episcopus, depositis mitra et casula, non tamen dalmatica, si illam adhibet, præcincto pro opportunitate gremiali linteo apto, accedit ad singulos, eisque aquam fundit super pedes et abstergit, adiuvantibus diaconis. Interim canuntur antiphonæ in Missali propositæ, vel alii cantus apti.[45]

302. Post lotionem pedum, Episcopus redit ad cathedram, manus lavat et casulam resumit. Deinde, cum symbolum in hac Missa non dicatur, statim fit oratio universalis.[46]

303. Incipiente liturgia eucharistica, instrui potest processio fidelium cum donis pro pauperibus. Interim canitur: *Ubi cáritas est vera,* vel alius cantus aptus.[47]

304. A præparatione donorum usque ad Communionem inclusive, omnia fiunt ut in Missa stationali, textibus propriis in Prece eucharistica adhibitis, qui in Missali proponuntur.[48]

305. Fidelium Communione expleta, pyxis cum particulis pro Communione diei sequentis relinquitur super altare, et dicitur oratio post Communionem.[49]

[44] Cf. Missale Romanum, Missa vespertina in Cena Domini, n. 3.
[45] Cf. *ibidem,* nn. 5-6.
[46] Cf. *ibidem,* n. 8.
[47] Cf. *ibidem,* n. 9.
[48] Cf. *ibidem,* n. 11.
[49] Cf. *ibidem,* n. 13.

306. Oratione dicta et ritibus conclusionis omissis, Episcopus stans ante altare incensum in turibulo imponit et benedicit, ac genuflexus Sacramentum incensat. Deinde, assumpto velo umerali, altare ascendit, genuflectit et adiuvante diacono accipit pyxidem manibus coopertis extremitatibus veli.[50]

307. Instruitur processio qua per ecclesiam Sacramentum ad locum repositionis, paratum in aliquo sacello, defertur. Præcedit acolythus cum cruce, quem acolythi candelabra deferentes cum cereis accensis comitantur; sequuntur clerus, diaconi, concelebrantes, minister tenens baculum Episcopi, duo turiferarii cum turibulis fumigantibus, Episcopus deferens Sacramentum, paulisper retro duo diaconi ei assistentes, deinde ministrantes ad librum et mitram. Omnes gestant candelas, atque circa Sacramentum intorticia deferuntur.

Interim canitur hymnus: *Pange, lingua* (exclusis duabus ultimis strophis) vel alius cantus eucharisticus, secundum locorum consuetudines.[51]

308. Cum pervenerit ad locum repositionis, Episcopus diacono pyxidem tradit, qui eam deponit super altare aut in tabernaculo, cuius porta aperta manet; ac, dum cantatur: *Tantum ergo Sacraméntum* vel alius cantus aptus, genuflexus Ss.mum Sacramentum incensat. Deinde diaconus Sacramentum in tabernaculo reponit vel ipsius portam claudit.[52]

309. Post aliquod tempus adorationis in silentio, omnes surgunt et, facta genuflexione, revertuntur ad secretarium, Episcopo mitram et baculum gestante.[53]

310. Tempore opportuno denudatur altare et auferuntur, si fieri potest, cruces ab ecclesia. Expedit ut cruces, quæ forte in ecclesia remanent, velentur, nisi iam velatæ sint ex præscripto Conferentiæ Episcoporum.[54]

311. Moneantur fideles, ut per congruum noctis tempus, secundum locorum et rerum adiuncta, adorationem peragant coram Ss.mo Sacramento asservato, ita tamen ut post mediam noctem hæc adoratio absque sollemnitate fiat.[55]

[50] Cf. Missale Romanum, Missa vespertina in Cena Domini, n. 15.
[51] Cf. *ibidem*, n. 16.
[52] Cf. *ibidem*, n. 17.
[53] Cf. *ibidem*, n. 18.
[54] Cf. *ibidem*, n. 19.
[55] *Ibidem*, n. 21.

CAPUT X

DE CELEBRATIONE PASSIONIS DOMINI

PRÆNOTANDA

312. Hac die, qua « Pascha nostrum immolatus est Christus »,[56] manifesto impleta sunt effectu quæ diu fuerant figurato promissa mysterio: ut ovem significativam ovis vera removeret, et ut uno expleretur sacrificio præcedentium differentia victimarum.[57]

Etenim « humanæ Redemptionis et perfectæ Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Veteris Testamenti præluserant, adimplevit Christus Dominus, præcipue per suæ beatæ Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosæ Ascensionis paschale mysterium, quo mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. Nam de latere Christi in cruce dormientis ortum est totius Ecclesiæ mirabile sacramentum ».[58]

Crucem enim Domini et Sponsi sui intuens, Ecclesia suum ortum commemorat suamque missionem extendendi universitati gentium felices effectus passionis Christi, quos hodie celebrat, gratias agens pro tam ineffabili dono.

313. Circa horam tertiam postmeridianam, nisi ratione pastorali tardior hora seligatur, fit celebratio Passionis Domini, constans e tribus partibus, nempe liturgia verbi, adoratione Crucis et sacra Communione.[59]

314. Altare omnino nudum sit: sine cruce, sine candelabris, sine tobaleis.[60]

315. Pro celebratione Passionis Domini, hæc parentur:

a) *in secretario:*

— pro Episcopo et diaconis, vestes coloris rubri sicut ad Missam; Episcopus mitra simplici, non tamen anulo et baculo, utitur;
— pro ceteris ministris, albæ vel aliæ vestes legitime approbatæ;

b) *in loco convenienti:*

— crux (velata, si prior forma adhibetur);
— duo candelabra;

[56] 1 Cor 5, 7.
[57] Cf. S. Leo Magnus, *Sermo 58 De Passione Domini*, 1: PL 54, 332.
[58] Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 5.
[59] Cf. Missale Romanum, Feria VI in Passione Domini, Celebratio Passionis Domini, n. 3.
[60] Cf. *ibidem*, n. 2.

c) *in presbiterio:*
— Missale;
— Lectionaria;
— tobalea;
— corporale;
— stolæ rubræ pro presbyteris et diaconis qui Communionem recipiunt;

d) *in loco ubi Ss.mum Sacramentum est repositum:*
— velum umerale rubri vel albi coloris pro diacono;
— duo candelabra pro acolythis.

Ritus introductorii

316. Episcopus et diaconi, vestibus coloris rubri sicut ad Missam induti, ad altare in silentio accedunt. Episcopus, deposita mitra et facta reverentia, in faciem procumbit vel, pro opportunitate, genuflexus super nudo genuflexorio, in silentio aliquamdiu orat.

Quod et omnes alii faciunt.[61]

317. Deinde Episcopus cum diaconis vadit ad cathedram ubi conversus ad populum, extensis manibus, dicit orationem: *Reminíscere,* vel: *Deus, qui peccáti véteris.* Postea sedet et assumit mitram.[62]

Liturgia verbi

318. Tunc, omnibus sedentibus, dicitur prima lectio e libro Isaiæ prophetæ, cum suo psalmo. Sequitur secunda lectio ex Epistola ad Hebræos.[63]

319. Incepto cantu ante Evangelium, omnes, excepto Episcopo, surgunt. Incensum et luminaria ad historiam Passionis non adhibentur. Diaconi, qui historiam Passionis lecturi sunt, benedictionem ab Episcopo petunt atque accipiunt, ut alias. Episcopus, deposita mitra, surgit. Deinde legitur historia Passionis secundum Ioannem. Salutatio populi et libri signatio omittuntur.

Postquam autem mors Domini annuntiata est, omnes genuflectunt, et pausatur aliquantulum. In fine dicitur: *Verbum Dómini,* sed osculum libri omittitur.

Historia Passionis expleta, Episcopus brevem homiliam habet. Cuius

[61] Cf. Missale Romanum, Feria VI in Passione Domini, Celebratio Passionis Domini, n. 4.
[62] Cf. *ibidem,* n. 5.
[63] Cf. *ibidem,* nn. 6-7.

in fine fideles ab Episcopo vel a diacono invitari possunt, ut per breve tempus orationi instent.[64]

320. Post homiliam, Episcopus, stans sine mitra ad cathedram vel, pro opportunitate, ad altare, manibus extensis, orationem universalem, ut proponitur in Missali, moderatur selectis, si opus sit, magis aptis orationibus.

Invitatoria, quibus intentiones huius orationis significantur, possunt, pro opportunitate, etiam a diaconis stantibus ad ambonem proponi.

Fideles per totum orationum tempus vel genuflexi vel stantes manere possunt.[65]

ADORATIO SANCTÆ CRUCIS

321. Deinde fit ostensio et adoratio sanctæ Crucis, una ex formis adhibita, quæ in Missali proponuntur:

a) *Forma prior ostensionis sanctæ Crucis:* Dum ab uno diacono portatur Crux velata ad altare, eam comitantibus duobus acolythis cum candelis accensis, Episcopus adit altare cum suis diaconis assistentibus, ibique stans sine mitra, Crucem accipit et tribus momentis successivis discooperit atque adorationi fidelium proponit, unaquaque vice incipiendo invitationem: *Ecce lignum Crucis* (quam invitationem prosequi potest diaconus, vel, si casus fert, schola). Omnes respondent: *Veníte adorémus* et, cantu finito, in genua se prosternunt et, parvo momento in silentio adorant, Episcopo stante et Crucem elevatam tenente. Deinde, comitantibus duobus acolythis cum candelis accensis, diaconus portat Crucem ad ingressum presbyterii vel ad alium locum aptum, et ibi eam deponit vel ministris sustentandam tradit, candelis a dextris et a sinistris Crucis depositis.[66]

b) *Forma altera ostensionis sanctæ Crucis:* Episcopo stante ad cathedram, sine mitra, diaconus cum acolythis vadit ad portam ecclesiæ, ubi accipit Crucem non velatam, acolythi vero candelabra accensa, et fit processio per ecclesiam ad presbyterium. Prope ianuam, in medio ecclesiæ et ad ingressum presbyterii, diaconus elevat Crucem, cantans invitationem: *Ecce lignum Crucis,* cui omnes respondent: *Veníte, adorémus;* post unamquamque responsionem Episcopo stante, omnes in genua se prosternunt et parvo momento in silentio adorant. Deinde diaconus Crucem deponit ad ingressum presbyterii, vel alibi ut supra dictum est.[67]

[64] Cf. *ibidem,* nn. 8-9.
[65] Cf. *ibidem,* nn. 10-13.
[66] Cf. *ibidem,* nn. 15-16.
[67] Cf. *ibidem,* n. 17.

322. Ad adorationem Crucis, Episcopus depositis mitra, casula et pro opportunitate, calceis, detecto capite, accedit primus, genuflectit ante Crucem, ipsam osculatur, et postea revertitur ad cathedram, ubi calceamenta et casulam reassumit, et sedet sine mitra. Post Episcopum diaconi, deinde clerus et fideles, quasi processionaliter transeuntes, et reverentiam Cruci exhibentes per simplicem genuflexionem vel aliud signum aptum secundum usum regionis, ex. gr. Crucem osculando.

Interim canuntur antiphona: *Crucem tuam*, Improperia, vel alii cantus congrui. Omnes qui adorationem peregerunt, suis locis sedent.[68]

323. Unica tantum Crux adorationi præbeatur. Si autem propter populi concursum non omnes singulatim accedere possunt, Episcopus, postquam pars cleri et fidelium adorationem peregerit, redit ad altare, Crucem a diacono accipit et, in medio ante altare consistens, paucis verbis populum ad sanctæ Crucis adorationem invitat, et postea per breve tempus Crucem altius elevatam tenet, a fidelibus silentio adorandam.[69]

Sacra Communio

324. Adoratione expleta, Crux a diacono portatur ad locum suum ad altare, dum Episcopus ad cathedram redit. Candelabra vero accensa deponuntur circa altare vel prope Crucem. Super altare autem extenditur tobalea ac ponuntur corporale et Missale.[70]

325. Deinde diaconus, velo umerali assumpto, via breviore, portat Sacramentum e loco repositionis ad altare. Duo acolythi cum candelabris accensis comitantur Sacramentum et candelabra deponunt circa vel supra altare.

Interim Episcopus aliique omnes surgunt et stant in silentio.[71]

326. Cum diaconus Sacramentum super altare posuerit et discooperuerit pyxidem, accedit Episcopus cum diaconis et, facta genuflexione, ascendit ad altare. Profertur oratio dominica cum suo embolismo et fit distributio Communionis, prout in Missali indicatur.[72]

327. Si Episcopus præsens fuerit actioni sacræ, quin tamen illam celebraverit, convenit ut saltem post Crucis adorationem induat, su-

[68] Cf. Missale Romanum, Feria VI in Passione Domini, Celebratio Passionis Domini, n. 18.

[69] Cf. *ibidem*, n. 19.

[70] Cf. *ibidem*, nn. 20-21.

[71] Cf. *ibidem*, n. 21.

[72] Cf. *ibidem*, nn 22-25.

pra rochetum, stolam et pluviale rubri coloris et ritui Communionis præsideat.

Si tamen ne hoc quidem facit, stola ad Communionem assumpta, seipsum ad altare communicet post celebrantem.

328. Distributione Communionis peracta, diaconus, velo umerali assumpto, pyxidem ad locum præparatum extra ecclesiam defert, vel, si circumstantiæ id postulent, in tabernaculum recondit.[73]

329. Deinde Episcopus, servato pro opportunitate aliquo spatio sacri silentii, dicit orationem post Communionem.[74]

Ritus conclusionis

330. Oratione post Communionem expleta, ad dimissionem Episcopus stans versus populum, et super illum manus extendens, dicit orationem: *Super pópulum tuum.*[75]

331. Facta deinde genuflexione Cruci, Episcopus accipit mitram et omnes discedunt sub silentio.

Altare tempore opportuno denudatur.[76]

[73] Cf. *ibidem*, n. 26.
[74] Cf. *ibidem*, n. 27.
[75] Cf. *ibidem*, n. 28.
[76] Cf. *ibidem*, n. 28.

CAPUT XI

DE VIGILIA PASCHALI

PRÆNOTANDA

332. Ex antiquissima traditione, ista nox est observabilis Domino,[77] et Vigilia quæ in ea celebratur, noctem sanctam commemorando qua Dominus resurrexit, habetur ut « mater omnium sanctarum Vigiliarum ».[78] In ea enim Ecclesia resurrectionem Domini vigilando exspectat, eamque sacramentis Initiationis christianæ celebrat.

333. Tota celebratio Vigiliæ paschalis peragitur noctu, ita ut vel non incipiat ante initium noctis, vel finiatur ante diluculum diei dominicæ.[79]

334. Cum celebratio Vigiliæ paschalis sit summa et nobilissima omnium sollemnitatum anni liturgici, Episcopus ne prætermittat eam per seipsum celebrare.

335. Missa Vigiliæ est Missa paschalis dominicæ Resurrectionis. Qui celebrat vel concelebrat Missam noctis, potest secundam Missam Pascatis celebrare vel concelebrare.[80]

336. Præter ea quæ necessaria sunt ad Missæ stationalis celebrationem, parentur:

a) *pro benedictione ignis:*
— rogus (in loco extra ecclesiam ubi populus congregatur);
— cereus paschalis;
— (quinque grana incensi; stilus);
— instrumentum aptum ad cereum accendendum ex novo igne;
— lampas textus ab Episcopo proferendos illuminans;
— candelæ pro participantibus Vigiliam;
— instrumentum quo turiferarius prunas accensas de novo igne in turibulum immittat;

b) *pro præconio:*
— candelabrum pro cereo paschali iuxta ambonem;
— si candelabrum iuxta ambonem collocari nequit, legile iuxta cereum

[77] Cf. Ex 12, 42.
[78] S. Augustinus, *Sermo 219:* PL 38, 1088.
[79] Missale Romanum, Vigilia paschalis, n. 3.
[80] Cf. *ibidem*, n. 5.

pro diacono vel pro cantore (quando necessitas adsit),[81] præconium proclamaturis;

c) *pro liturgia baptismali:*

— vas cum aqua;

— cum sacramenta Initiationis christianæ administrantur: oleum catechumenorum, sacrum chrisma, cereus baptismalis, Rituale Romanum.

Lampades ecclesiæ exstinguuntur.

Benedictio ignis et præparatio cerei

337. Episcopus, concelebrantes et diaconi in secretario vel alio loco apto induunt, iam ab initio Vigiliæ, vestimenta albi coloris pro Missa.[82]

338. Episcopus, mitra et baculo utens, cum concelebrantibus, clero et ministris accedit ad locum ubi populus est congregatus, ad benedicendum ignem. Unus ex acolythis cereum paschalem defert ante ministros. Crux processionalis et luminaria non portantur. Turiferarius turibulum fert sine prunis.

339. Episcopus, dimissis baculo et mitra, stans, ad populum conversus, dicit: *In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti;* populum salutat, dicens: *Pax vobis.* Postea ipse vel diaconus vel unus e concelebrantibus eum breviter alloquitur, momentum celebrationis manifestando, verbis usus Missalis: *Fratres caríssimi,* vel aliis his similibus.[83]

340. Deinde Episcopus benedicit ignem dicens, manibus extensis, orationem: *Deus, qui per Fílium tuum.* Oratione autem expleta, mitram reassumit et, adiuvante diacono, de novo igne accendit cereum paschalem nihil dicens. Turiferarius prunas accensas de novo igne in turibulum immitttit.[84]

341. Si propter ingenium populi, opportunum videtur symbolis quibusdam extollere dignitatem et significationem cerei paschalis, novo igne benedicto, acolythus portat cereum paschalem ante Episcopum, qui stans cum mitra incidit cum stilo crucem in ipsum cereum paschalem. Deinde facit super crucem litteram græcam Alpha, subtus vero litteram Omega, et inter bracchia crucis quattuor numeros exprimentes annum currentem, interim dicens: *Christus heri et hódie.*

[81] Cf. Missale Romanum, Vigilia paschalis, n. 17.
[82] Cf. *ibidem,* n. 6.
[83] Cf. *ibidem,* n. 8.
[84] Cf. *ibidem,* n. 9.

Item, incisione crucis et aliorum signorum facta, Episcopus infigere potest in cereum quinque grana incensi in modum crucis, dicens: *Per sua sancta vúlnera.* Ac tandem cereum accendit e novo igne benedicto, dicens: *Lumen Christi glorióse resurgéntis.*

Elementa quæ præcedunt omnia vel aliqua tantum adhiberi possunt, pro rerum et locorum adiunctis pastoralibus. Item Conferentiæ Episcoporum alia statuere possunt, populorum ingenio magis accommodata.[85]

PROCESSIO

342. Postquam cereum accendit, Episcopus ponit incensum in turibulum, diaconus vero accipit ab acolytho cereum paschalem.

343. Et ordinatur processio, quæ ingreditur ecclesiam. Turiferarius cum turibulo fumiganti incedit ante diaconum, qui cereum paschalem defert. Sequuntur minister deferens baculum, Episcopus cum diaconis ipsi ministrantibus, concelebrantes, clerus, populus, omnes candelas exstinctas manu gestantes.

Ad portam ecclesiæ, diaconus, stans et elevans cereum, cantat: *Lumen Christi,* et omnes respondent: *Deo grátias.* Episcopus accendit candelam suam de igne cerei paschalis.

Deinde diaconus procedit ad medium ecclesiæ, et stans et elevans cereum, iterum cantat: *Lumen Christi,* et omnes respondent: *Deo grátias.* Et omnes candelam accendunt, ignem sibi communicantes.

Diaconus autem, cum venerit ante altare, stans versus populum tertio cantat: *Lumen Christi,* omnibus respondentibus: *Deo grátias,* et deinde cereum paschalem deponit super candelabrum in medio presbyterii paratum, vel iuxta ambonem. Et accenduntur lampades per ecclesiam.[86]

PRÆCONIUM PASCHALE

344. Cum ad presbyterium pervenerit, Episcopus cathedram petit, candelam diacono tradit et sedet cum mitra; deinde imponit et benedicit tus, sicut ad Evangelium in Missa. Diaconus adit Episcopum, petit et accipit benedictionem, dicente Episcopo submissa voce: *Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis, ut digne et competénter annúnties suum paschále prœcónium: in nómine, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.* Diaconus respondet: *Amen.*[87]

[85] Cf. Missale Romanum, Vigilia paschalis, nn. 10-12.

[86] Cf. *ibidem,* nn. 14-16.

[87] Cf. *ibidem,* n. 17. Presbyter qui Præconium annuntiat adit Episcopum ac benedictionem petit et accipit uti diaconus.

Cantor vero qui, pro necessitate, Præconium annuntiat, Episcopum non adit nec incensat librum ac cereum, et omittit verba *Quaprópter astántes vos* usque ad finem invitationis, necnon salutationem *Dóminus vobíscum.*

345. Recedente diacono, Episcopus dimittit mitram et surgit ad audiendum præconium, candelam accensam manu tenens.

Similiter stant omnes et candelas accensas manibus gestant.

Diaconus, incensatis libro et cereo, cantat præconium paschale in ambone vel ad legile.[88]

Liturgia verbi

346. Finito præconio paschali, depositis candelis, omnes sedent. Episcopus, antequam incipiantur lectiones, sedens cum mitra, liturgiam verbi brevi monitione introducit, nisi diacono vel uni ex concelebrantibus hoc munus commiserit. Adhiberi potest vel monitio Missalis: *Vigíliam sollémniter ingréssi* vel alia similibus verbis expressa.[89]

347. In hac Vigilia, proponuntur novem lectiones, scilicet septem e Vetere Testamento et duæ e Novo (Epistola et Evangelium). Si circumstantiæ pastorales id postulant, minui potest numerus lectionum e Vetere Testamento; semper tamen attendatur lectionem verbi Dei esse partem fundamentalem huius Vigiliæ paschalis. Dicuntur saltem tres lectiones e Vetere Testamento desumptæ, et in casibus urgentioribus saltem duæ. Numquam autem omittatur lectio cap. 14 Exodi.[90]

348. Omnibus sedentibus et auscultantibus, lector ad ambonem pergit et primam lectionem profert. Postea psalmista seu cantor psalmum dicit, populo responsum proferente. Deinde, dimissa mitra, Episcopus surgit et, omnibus stantibus, dicit: *Orémus*, et postquam omnes per aliquod temporis spatium silentio oraverint, dicit collectam lectioni respondentem. Quod fit post unamquamque lectionem Veteris Testamenti.[91]

349. Post ultimam lectionem e Vetere Testamento cum suo responsorio et sua oratione, acceduntur cerei altaris et hymnus: *Glória in excélsis*, sollemniter intonatur quem omnes prosequuntur, dum pulsantur campanæ, iuxta locorum consuetudines.[92]

350. Expleto hymno, Episcopus dicit, more solito, collectam: *Deus, qui hanc sacratíssimam noctem*.[93]

351. Deinde sedet et accipit mitram. Omnibus iterum sedentibus, lector in ambone profert lectionem de Apostolo.[94]

[88] Cf. *ibidem*, nn. 17-19.
[89] Cf. *ibidem*, n. 22.
[90] Cf. *ibidem*, nn. 20-21.
[91] Cf. *ibidem*, n. 23.
[92] Cf. *ibidem*, n. 31.
[93] Cf. *ibidem*, n. 32.
[94] Cf. *ibidem*, n. 33.

352. Finita Epistola, pro opportunitate et secundum loci consuetudinem, unus e diaconis vel lector adit Episcopum, et ei dicit: *Reverendíssime Pater, annúntio vobis gáudium magnum, quod est Allelúia.*

Post hoc nuntium vel, si hoc locum non habet, immediate post Epistolam, omnes surgunt. Episcopus, stans sine mitra, sollemniter intonat *Allelúia,* adiuvante si necesse est uno e diaconis vel concelebrantibus. Ter decantat, elevando vocem gradatim: populus post unamquamque vicem, in eodem tono repetit illud idem.

Deinde psalmista vel cantor profert psalmum, populo respondente *Allelúia.*[95]

353. Deinde Episcopus sedet, imponit incensum et benedicit diacono ad Evangelium, more solito. Luminaria ad Evangelium non deferuntur.[96]

354. Statim post Evangelium fit homilia. Deinde proceditur ad liturgiam baptismalem.[97]

Liturgia baptismalis

355. Omnino convenit ut Episcopus ipse sacramenta Baptismi et Confirmationis in hac Vigilia administret.[98]

356. Liturgia baptismalis peragitur aut ad fontem baptismalem, aut in presbyterio ipso. Ubi tamen, ex antiqua traditione, exstat baptisterium extra ecclesiæ aulam, illud adeundum est ad liturgiam baptismalem celebrandam.[99]

357. Primo vocantur catechumeni, qui præsentantur a patrinis, vel, si sunt parvuli, portantur a parentibus et patrinis.[100]

358. Tunc, si processio ad baptisterium vel ad fontem habenda sit, ea statim ordinatur. Præcedit acolythus cum cereo paschali, eumque sequuntur catechumeni cum patrinis, deinde diaconi, concelebrantes et Episcopus, gerens mitram et baculum. Durante processione, canuntur litaniæ. Expletis litaniis, Episcopus deponit baculum et mitram et facit monitionem: *Précibus nostris.*[101]

359. Si autem liturgia baptismalis in presbyterio peragitur, Episcopus, depositis baculo et mitra, monitionem introductoriam facit:

[95] Cf. Missale Romanum, Vigilia paschalis, n. 34.
[96] Cf. *ibidem,* n. 35.
[97] *Ibidem,* n. 36.
[98] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, *Prænotanda* n. 44.
[99] Cf. Missale Romanum, Vigilia paschalis, n. 37.
[100] Cf. *ibidem,* n. 37.
[101] Cf. *ibidem,* nn. 39, 41 et 38.

Précibus nostris; deinde canuntur litaniæ a duobus cantoribus, omnibus stantibus propter tempus paschale, et respondentibus.[102]

360. Expletis litaniis et facta ab Episcopo monitione ut supra, ipse stans ad fontem baptismalem, sine mitra et manibus extensis, aquam benedicit, dicens orationem: *Deus, qui invisíbili poténtia;* et dum dicit: *Descéndat, quǽsumus, Dómine,* potest, pro opportunitate, cereum paschalem in aquam immittere, semel vel ter ut describitur in Missali. [103]

361. Aquæ benedictione expleta et acclamatione populi prolata, Episcopus sedet, accipit mitram et baculum; electos interrogat ad abrenuntiationem faciendam, et quidem adultos iuxta Ordinem Initiationis christianæ adultorum,[104] parentes vel patrinos parvulorum vero iuxta Ordinem Baptismi parvulorum.[105]

362. Si unctio cum oleo catechumenorum adultorum facta non sit antea inter ritus immediate præparatorios, fit hoc momento, secundum Ordinem Initiationis christianæ adultorum, presbyteris, si opus est, adiuvantibus.[106]

363. Deinde Episcopus, de nomine uniuscuiusque adulti baptizandi tempestive certior factus a patrino, singulos de fide interrogat, ut in Ordine Initiationis christianæ adultorum.[107] Si vero de parvulis agitur, triplicem professionem fidei ab omnibus parentibus et patrinis simul requirit, ut in Ordine Baptismi parvulorum.[108]

364. Peractis interrogationibus, Episcopus deponit baculum, surgit et baptizat electos, cooperantibus, si opus est, presbyteris et etiam diaconis, ut in Ordine Initiationis christianæ adultorum,[109] et in Ordine Baptismi parvulorum.[110]

365. Deinde Episcopus iterum sedet. Infantes, unctionem chrismatis accipiunt a presbyteris dicentibus: *Deus omnípotens.* Omnibus vero, sive adultis sive parvulis vestis candida traditur dicente Episcopo: *N. et N. nova creatúra facti estis.*[111] Deinde Episcopus vel diaconus accipit cereum paschalem de manu acolythi, et dicit: *Accédite,*

[102] Cf. *ibidem,* nn. 38-39.
[103] Cf. *ibidem,* nn. 42-43.
[104] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 217.
[105] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, nn. 56-57.
[106] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 218.
[107] Cf. *ibidem,* n. 219.
[108] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, n. 58.
[109] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, nn. 220-222.
[110] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, nn. 60-61.
[111] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 225; Ordo Baptismi parvulorum, n. 63.

patrini; atque cerei neophytorum accenduntur dum Episcopus dicit: *Lux in Christo facti estis.*[112] Pro infantibus traditio cerei et ritus *Effetha* omittuntur, prout in Ordine Baptismi parvulorum indicatur.[113]

366. Expletis ablutione baptismali aliisque ritibus explanativis, nisi omnia ante altare locum habuerint, fit reditus in presbyterium, habita processione uti antea, neophytis vel patrinis seu parentibus cereum accensum gestantibus. Durante processione canitur canticum baptismale, ex. gr. *Qui baptizáti estis.*

367. Si adulti sunt baptizati, Episcopus in presbyterio sacramentum Confirmationis eis ministret, iis servatis quæ in Ordine Initiationis christianæ adultorum describuntur.[114]

Renovatio promissionum baptismalium

368. Ritu Baptismi et Confirmationis expleto vel, si neuter eorum habuit locum, post benedictionem aquæ, Episcopus, stans cum mitra coram populo recipit renovationem promissionum fidei baptismalis a fidelibus, qui stant et candelas accensas in manibus gestant.[115]

369. Renovatione promissionum baptismalium completa, Episcopus, retenta mitra, aspergit populum aqua benedicta, adiuvantibus, si casus fert, presbyteris, pro opportunitate incedens per aulam ecclesiæ, omnibus canentibus antiphonam: *Vidi aquam* vel alium cantum indolis baptismalis.[116]

Interim neophyti ducuntur ad locum suum inter fideles.

Si benedictio aquæ baptismalis facta est extra baptisterium, diaconus et acolythi reverenter portant vas aquæ ad fontem.

Aspersione facta, Episcopus redit ad cathedram, ubi, omisso symbolo, stans sine mitra, moderatur orationem universalem, quam neophyti primo participant.[117]

Liturgia eucharistica

370. Deinde incipit liturgia eucharistica, quæ celebratur secundum formam Missæ stationalis.

Præstat ut panis et vinum ad altare afferantur a neophytis,[118] vel si sunt parvuli a parentibus vel patrinis.

[112] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 226; Ordo Baptismi parvulorum, n. 64.
[113] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, n. 28, 3.
[114] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, nn. 227-231.
[115] Cf. Missale Romanum, Vigilia paschalis, n. 46.
[116] Cf. *ibidem*, n. 47.
[117] Cf. *ibidem*, nn. 48-49
[118] Cf. *ibidem*, n. 51.

In Prece eucharistica, memoria fiat baptizatorum et patrinorum, iuxta formulas quæ in Missali et Rituali pro singulis Precibus eucharisticis proponuntur.[119]

Ante Communionem, id est ante *Ecce Agnus Dei,* Episcopus neophytos breviter monere potest de pretio tanti mysterii, quod est initiationis culmen et totius vitæ christianæ centrum.

Expedit ut neophyti sacram Communionem recipiant sub utraque specie, una cum patrinis, parentibus et propinquis necnon catechistis.

Ad fidelium dimissionem, diaconus duplex *Allelúia* addit formulæ consuetæ: *Ite, missa est;* idemque faciunt fideles in responsione danda.[120]

Ad benedictionem in fine Missæ impertiendam, Episcopus convenienter utatur sive formula benedictionis sollemnis pro Missa Vigiliæ paschalis in Missali proposita,[121] sive formula benedictionis finalis ritus Baptismi adultorum vel parvulorum, iuxta rerum adiuncta.[122]

[119] Cf. *ibidem,* Missæ rituales: In conferendo Baptismate; Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 233 et n. 391.
[120] Cf. Missale Romanum, Vigilia paschalis, n. 56.
[121] Cf. *ibidem,* Benedictiones sollemnes, In Vigilia paschali et die Paschæ, n. 7.
[122] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, n. 70; nn. 247-249.

CAPUT XII

DE TEMPORE PASCHALI

371. Quinquaginta dies a dominica Resurrectionis ad dominicam Pentecostes cum lætitia et exsultatione celebrantur sicut unus dies festus, immo « magna dominica ».[123]

Hi sunt dies in quibus præcipue cantatur *Allelúia.*

372. Cereus paschalis accenditur in omnibus celebrationibus liturgicis sollemnioribus huius temporis, sive Missa sive Laudibus et Vesperis. Post vero diem Pentecostes, cereus paschalis in baptisterio honorifice asservatur ut ex eo in Baptismatis celebratione accenso, cerei baptizatorum illuminentur.[124]

Toto tempore paschali ad Baptismum conferendum aqua in nocte paschali benedicta adhibetur.[125]

373. Octo primi dies temporis paschalis constituunt octavam Paschæ et uti sollemnitates Domini celebrantur. Ad dimittendum populum in Missa, additur duplex *allelúia* ad *Ite, missa est* et in Liturgia Horarum ad *Ite in pace,* quibus respondetur: *Deo grátias, allelúia, allelúia.*[126]

374. Ubi adsint neophyti, tempus paschale et præcipue prima hebdomada est tempus « mystagogiæ » neophytorum, quo cum eis communitas tum meditatione, tum participatione Eucharistiæ, tum exercitio caritatis progreditur in mysterio paschali altius percipiendo et in vitæ usum magis magisque traducendo. Insignis vero locus « mystagogiæ » sunt Missæ dominicarum paschalium, quia in eis neophyti inveniunt, præsertim anno *A* Lectionarii, lectiones peculiariter sibi aptas, in homilia enarrandas.[127]

375. Quadragesima die post Pascha vel, ubi non est de præcepto servanda, dominica VII Paschæ, celebratur Ascensio Domini, in qua sollemnitate ante oculos ponitur Christus qui discipulis cernentibus est elevatus in cælum, in dextera Dei sedens, regali potestate præditus, regnum cæleste hominibus reservans, in fine temporum iterum venturus.

[123] S. Athanasius, *Epist. festal.*, 1: PG 26, 1366. Cf. Normæ universales de anno liturgico et calendario, n. 22.
[124] Cf. Missale Romanum, Dominica Pentecostes.
[125] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, De Initiatione christiana, *Prænotanda generalia,* n. 21.
[126] Cf. Missale Romanum, Dominica Resurrectionis.
[127] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, *Prænotanda,* n. 40.

376. Feriæ post Ascensionem usque ad sabbatum ante Pentecosten inclusive ad adventum præparant Spiritus Sancti Paracliti.

Concluditur denique hoc sacrum quinquaginta dierum tempus dominica Pentecostes, qua commemoratur donum Spiritus Sancti in Apostolos, primordia Ecclesiæ atque initium eius missionis ad omnes linguas et populos et nationes. Hac die Episcopus de more Missam stationalem celebrat, et Liturgiæ Horarum, præcipue Laudibus matutinis et Vesperis, præest.

CAPUT XIII

DE TEMPORE « PER ANNUM »

377. Præter tempora propriam indolem habentia, triginta tres vel triginta quattuor supersunt hebdomadæ per anni circulum, in quibus non celebratur peculiaris mysterii Christi aspectus; sed potius ipsum mysterium Christi in sua plenitudine recolitur, præsertim vero diebus dominicis. Huiusmodi periodus, tempus « per annum » nuncupatur.[128]

378. Tempus « per annum » incipit feria quæ sequitur festum Baptismatis Domini et protrahitur usque ad feriam III ante Quadragesimam inclusive; iterum incipit feria II post dominicam Pentecostes et explicit ante I Vesperas dominicæ I Adventus.[129]

379. Cum dominica ut primordialis dies festus necnon nucleus et fundamentum anni liturgici habenda sit,[130] curet Episcopus ut in dominicis « per annum », etiam quando dies thematibus particularibus dicati peraguntur, liturgia dominicæ propria servetur, iis attentis quæ supra nn. 228-230 exponuntur.

380. Ad bonum autem pastorale fidelium procurandum, in dominicis « per annum », licet eas celebrationes agere, quæ infra hebdomadam occurrunt, quæque ipsorum fidelium pietati sunt acceptæ, dummodo hæ in tabula præcedentiæ ipsi dominicæ præponantur. De his celebrationibus dici possunt omnes Missæ quæ concurrente populo celebrantur.[131]

[128] Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 43.
[129] *Ibidem*, n. 44.
[130] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 106; cf. Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 4.
[131] Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 58; Cf. infra Appendix II.

CAPUT XIV

DE ROGATIONIBUS ET QUATTUOR ANNI TEMPORIBUS

381. In Rogationibus et Quattuor anni Temporibus, Ecclesia solet pro variis hominum necessitatibus, imprimis vero pro fructibus terræ et hominum laboribus, Dominum exorare, eique publice gratias referre.[132]

382. Ut Rogationes et Quattuor anni Tempora diversis locorum et fidelium necessitatibus aptari possint, quoad tempus et rationem illa celebrandi, a Conferentiis Episcoporum ordinentur oportet.

De eorum proinde amplitudine celebrationis, per unum vel plures dies protrahendæ, de eorum iteratione per anni decursum, normæ statuantur a competenti auctoritate, attentis necessitatibus localibus.[133]

383. Expedit ergo ut in quavis diœcesi, perspectis rerum adiunctis necnon locorum consuetudinibus, Episcopus valde curet ut apta via inveniatur ad liturgiam Rogationum vel Quattuor Temporum servandam et caritatis ministerio dedicandam, ita ut hac ratione pietas et devotio populi Dei foveatur atque Christi mysteriorum intellegentia augeatur.

384. Missa pro singulis diebus harum celebrationum, inter Missas pro variis necessitatibus eligatur, quae sit magis accommodata supplicationum proposito.[134]

[132] Normæ universales de anno liturgico et de calendario, n. 45.
[133] *Ibidem*, n. 46.
[134] *Ibidem*, n. 47.

CAPUT XV

DE SOLLEMNITATE SS.MI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI

PRÆNOTANDA

385. Etsi de institutione Eucharistiæ specialis recordatio habetur Missa in Cena Domini, quando Christus Dominus cenavit cum discipulis suis, eisque sacramentum tradidit Corporis et Sanguinis sui in Ecclesia celebrandum, hac tamen sollemnitate pietati fidelium proponitur cultus tam salutiferi Sacramenti, ut mirabilia Dei in eo significata et per paschale mysterium patrata celebrent, sacrificium eucharisticum participare et de eo impensius vivere discant, Christi Domini præsentiam in ipso Sacramento venerentur, ac de donis gratiarum debitas actiones Deo persolvant.[135]

386. Ut celebratio peculiaris huius sollemnitatis, pietate Ecclesiæ tradita est processio, qua populus christianus Eucharistiam per vias sollemni ritu cum cantu et precibus circumferens, publicum testimonium fidei et pietatis præbet erga hoc Sacramentum.

Convenit proinde ut, ubi rerum audiuncta id permittunt, et vere potest exstare signum communis fidei et adorationis, hæc processio servetur et foveatur. Immo, si civitas permagna est, et necessitas pastoralis id suadet, licet de iudicio Episcopi diœcesani, alias processiones ordinare in præcipuis partibus civitatis.

Episcopi diœcesani est iudicare cum de opportunitate, attentis rerum adiunctis, tum de loco et de ordinatione huiusmodi processionis, ut cum dignitate et sine damno reverentiæ Ss.mo huic Sacramento debitæ peragantur.

Ubi vero in hac sollemnitate processio haberi nequit, convenit ut alia publica habeatur celebratio pro universa civitate aut pro præcipuis eius partibus, in ecclesia cathedrali aliove loco opportuniore.[136]

PROCESSIO EUCHARISTICA

387. Expedit ut processio fiat post Missam, in qua hostia in processione deferenda consecretur. Nihil tamen impedit quominus processio peragatur etiam post publicam et protractam adorationem, quæ Missam sequatur.[137]

[135] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis, Procemium*, n. 3.

[136] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, nn. 101-102; Cf. S. Congr. Rituum, Instr., *Eucharisticum Mysterium*, 25 maii 1967, n. 59: A.A.S. 59 (1967), p. 570.

[137] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, n. 103.

388. Præter ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem requiruntur, hæc parentur:

a) *in presbyterio:*

— super patenam hostia consecranda pro processione;
— ostensorium;
— velum umerale;
— alterum turibulum cum navicula;

b) *in loco opportuno:*

— pluvialia albi vel festivi coloris (cf. infra, n. 390);
— intorticia et candelæ;
— (baldachinum).

389. Expleta fidelium Communione, diaconus collocat in altari ostensorium in quo reverenter ponit hostiam consecratam. Deinde Episcopus cum suis diaconis genuflectit et redit ad cathedram, ubi dicit orationem post Communionem.

390. Qua dicta, omissis ritibus conclusionis, fit processio. Episcopus ei præsidet indutus vel casula, ut in Missa, vel pluviali albi coloris. Si vero processio Missam immediate non sequatur, pluviale sumit.[138]

Convenit ut canonici et presbyteri non concelebrantes pluviale super superpelliceum et vestem talarem induant.

391. Incenso in turibulo imposito et benedicto, Episcopus, genuflexus coram altari, incensat Ss.mum Sacramentum.

Postea accipit velum umerale et ascendit altare, genuflectit et, diacono adiuvante, ostensorium accipit, quod ambabus manibus velo contectis sustinet.

Tunc instruitur processio: præcedit acolythus cum cruce, quem acolythi, candelabra cum cereis accensis deferentes, comitantur; sequuntur clerus, diaconi qui ad Missam ministraverunt, canonici et presbyteri qui pluviale induunt, presbyteri concelebrantes, Episcopi forte præsentes et pluviali induti, minister tenens baculum Episcopi, duo turiferarii cum turibulis fumigantibus, Episcopus deferens Ss.mum Sacramentum, paulisper retro duo diaconi ei assistentes, deinde ministrantes ad librum et mitram. Omnes candelas gestant, atque circa Sacramentum intorticia deferuntur.

Baldachinum, sub quo incedat Episcopus Sacramentum deferens, secundum locorum consuetudines, adhibeatur.

Si Episcopus Ss.mum Sacramentum deferre non potest, processionem sequatur paramentis indutus, detecto capite, baculum vero

[138] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, n. 105.

gestans at non benedicens, immediate ante sacerdotem qui Ss.mum Sacramentum portat.

Ceteri vero Episcopi forte processionem participantes, cum habitu chorali induuntur, Ss.mum Sacramentum sequuntur, ut infra n. 1100 describitur.

392. Quod ad fidelium ordinationem spectat, serventur locorum consuetudines; itemque quod ad platearum et viarum ornatum.

Durante itinere, si consuetudo adest et bonum pastorale id suadeat, aliqua statio quoque cum benedictione eucharistica fieri potest. Cantus tamen et orationes quae proferuntur ad id ordinentur, ut omnes suam in Christum fidem manifestent unique Domino vacent.[139]

393. Expedit ut processio ab una ad aliam ecclesiam dirigatur. Attamen, si locorum adiuncta id suadent, potest etiam ad eandem ecclesiam regredi e qua egressa est.[140]

394. In fine processionis, benedictio cum Ss.mo Sacramento, in ecclesia ad quam pervenitur, aut alio opportuniore loco, impertitur.

Ministri, diaconi et presbyteri, intrantes presbyterium, directe ad loca sua accedunt. Postquam Episcopus ascenderit ad altare, diaconus a dextris accipit de manu ipsius Episcopi stantis ostensorium et illud super altare collocat. Deinde Episcopus, una simul cum diacono, genuflexionem peragit et, deposito velo, genua flectit ante altare.

Mox, ture imposito et benedicto, Episcopus accipit turibulum a diacono, reverentiam cum diaconis sibi assistentibus facit, atque Ss.mum Sacramentum triplici ductu turificat. Post iteratam inclinationem ad Sacramentum, turibulum diacono reddit. Interim canitur stropha: *Tantum ergo* vel alius cantus eucharisticus.

Deinde Episcopus surgit et dicit: *Orémus*. Fit brevis pausa silentii; deinde minister, si opus est, librum ante Episcopum sustinet, dum ipse Episcopus prosequitur dicens: *Deus qui nobis sub Sacraménto mirábili* vel aliam orationem Ritualis Romani.

Dicta oratione, Episcopus accipit velum umerale, ascendit altare, genuflectit et, diacono adiuvante, ostensorium accipit, quod ambabus manibus velo contectis elevatum tenens, se vertit ad populum et cum illo signum crucis facit nihil dicens.

Quo facto, diaconus accipit de manu Episcopi ostensorium et super altare collocat. Episcopus et diaconus genuflectunt. Deinde dum Episcopus genuflexus manet coram altare, diaconus Sacramentum reverenter transfert ad sacellum repositionis.

Interim populus aliquam acclamationem pro opportunitate profert.

Et fit processio ad secretarium more consueto.

[139] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, n. 104.

[140] Cf. *ibidem*, n. 107.

CAPUT XVI

DE COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM

395. Sacrificium eucharisticum suamque pro defunctis intercessionem offert Ecclesia non tantum in eorum exsequiis et anniversario, sed etiam in Commemoratione quam quotannis agit de omnibus filiis suis in Christo dormientibus, et eos validis apud Deum satagit suffragiis adiuvare, ut valeant ad societatem supernorum civium pervenire. Hoc modo, communicantibus inter se omnibus Christi membris, dum defunctis spiritalem impetrat opem, viventibus affert spei solacium.[141]

396. In hac Commemoratione celebranda Episcopus spem vitæ æternæ utique fovere satagat, ita tamen ut mentem modumque agendi hominum suæ diœcesis circa defunctos nec ignorare nec neglegere videatur. Sive ergo de familiarum traditione agitur, sive de locorum consuetudinibus, quidquid bonum invenerit, libenter probet; quidquid vero spiritui christiano contradicere videatur, ita transformare nitatur, ut cultus, qui defunctis exhibetur, et fidem paschalem ostendat et evangelicum spiritum demonstret.[142]

397. Hac die altare floribus non ornatur, atque sonus organi aliorumque instrumentorum permittitur tantum ad cantum sustentandum.[143]

398. Expedit ut in Commemoratione omnium fidelium defunctorum Episcopus, in locis in quibus fideles ex consuetudine locali hoc die congregantur in ecclesia vel in ipso cœmeterio, Missam cum populo celebret, consuetisque suffragiis pro defunctis cum sua Ecclesia partem habeat.

399. In cœmeterio vel in ecclesiis in quibus corpora defunctorum sunt sepulta, aut in ingressu conditorii, aut apud sepulcrum Episcoporum, Missam sequi potest aspersio et turificatio sepulcrorum, ut infra describitur.

400. Expleta oratione post Communionem, Episcopus assumit mitram simplicem, et ipse vel diaconus vel concelebrans vel alius mini-

[141] Cf. Rituale Romanum, Ordo Exsequiarum, n. 1.
[142] Cf. *ibidem*, n. 2.
[143] Cf. S. Congr. Rituum, Instr., *Musicam sacram*, 5 martii 1967, n. 66: A.A.S. 59 (1967), p. 319.

ster idoneus breviter fideles in ritum aspersionis pro defunctis introducit.

401. Dum cantus conveniens ex Ordine Exsequiarum [144] sumptus peragitur, Episcopus cum mitra et baculo ad locula defunctorum accedit et dimisso baculo, aspergit et turificat. Deinde, dimissa mitra, profert orationem congruentem ex iis quæ in Ordine Exsequiarum proponuntur,[145] et fit dimissio more solito.

402. Episcopus hunc ritum etiam extra Missam, pluviali coloris violacei et mitra simplici adhibitis, peragere potest. Quo in casu benedictio tumulorum sequitur liturgiam verbi, quæ celebratur modo in ritu exsequiarum præviso.[146]

403. Ritus aspersionis et turificationis sepulcrorum, supra nn. 399-402 descriptus, numquam fieri potest quando corpora defunctorum non adsunt.

[144] Cf. Rituale Romanum, Ordo Exsequiarum, nn. 145-166; 187-191.
[145] Cf. *ibidem*, nn. 170-176.
[146] Cf. *ibidem*, n. 45.

PARS V

DE SACRAMENTIS

CAPUT I

DE INITIATIONE CHRISTIANA

PRÆNOTANDA

404. Episcopus, quippe præcipuus dispensator mysteriorum Dei, sicut et totius vitæ liturgicæ in Ecclesia sibi commissa moderator,[1] regit collationem Baptismi, quo regalis sacerdotii Christi participatio conceditur, minister est originarius Confirmationis,[2] totiusque initiationis christianæ auctor, quam peragit sive per se sive per suos presbyteros, diaconos et catechistas.

Quod pastorale munus illi tam proprium ecclesiastica traditio semper consideravit, ut non dubitaverit voce sancti Ignatii Antiocheni affirmare: « Non licet sine Episcopo baptizare ».[3]

Speciali tamen ratione Episcopum decet Initiationem christianam adultorum curare eiusque præcipuas partes celebrare. Denique valde optandum est ut in sollemni Vigilia paschali necnon, quantum fieri potest, in visitatione pastorali Episcopus cum adultis tum parvulis sacramenta Initiationis christianæ ministret.[4]

405. Sacramenta Initiationis christianæ, præter casus necessitatis Episcopus ne celebret in sacellis vel domibus privatis, sed, de more, in ecclesia cathedrali vel in ecclesiis parœcialibus, ita ut communitas christiana participare possit.

I. DE INITIATIONE CHRISTIANA ADULTORUM

406. Episcopi est per se vel per delegatum institutionem pastoralem catechumenorum condere, moderari atque fovere, necnon candidatos ad electionem et ad sacramenta admittere. Optandum est ut, quantum fieri potest, quadragesimali liturgiæ præsidens, ritum electionis et in Vigilia paschali sacramenta Initiationis ipse celebret. Denique, pro sua pastorali cura, Episcopus catechistis, qui revera digni sunt et opportune præparati, tradat deputationem ad exorcismos minores celebrandos.[5]

[1] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 15.
[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.
[3] *Ad Smyrnæos*, 8, 2: ed. Funk, I, p. 283.
[4] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, De Initiatione christiana. *Prænotanda generalia*, n. 12.
[5] Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 44.

407. Ergo laudabiliter Episcopus sibi servet ritum electionis seu inscriptionis nominis et, iuxta adiuncta, etiam traditiones symboli et orationis dominicæ, denique ipsam celebrationem Initiationis sacramentorum a litaniis usque ad finem, adiuvantibus tamen presbyteris et diaconis, ut infra describitur. Alios ritus, quibus ipsi forte placuerit præsidere, Episcopus peragat ut in Rituali Romano indicatur.

Ritus electionis seu inscriptionis nominis[6]

408. Celebratione electionis, seu nominis inscriptione, quæ fit initio Quadragesimæ, Ecclesia, audito patrinorum et catechistarum testimonio, catechumenis voluntatem suam confirmantibus, de statu præparationis ipsorum iudicat num possint ad sacramenta paschalia accedere.[7]

409. Episcopi est, quamvis remota vel proxima fuerit pars eius in deliberatione prævia, manifestare sive in homilia, sive decursu ritus, quæ sit religiosa et ecclesiastica indoles electionis.

Ad illum ergo pertinet tum sententiam Ecclesiæ proferre coram adstantibus eorumque iudicium pro opportunitate audire, tum a catechumenis personalem voluntatis manifestationem exquirere, tum, nomine Christi et Ecclesiæ agendo, admissionem electorum peragere.[8]

410. Ritum electionis Episcopus convenienter celebret in ecclesia cathedrali vel in alia ecclesia, iuxta necessitates pastorales, intra Missam dominicæ I Quadragesimæ,[9] textibus adhibitis Missæ eiusdem dominicæ, nisi aliud tempus magis opportunum existimetur.

Si vero hic ritus celebratur extra dominicam I Quadragesimæ initium fiat a liturgia verbi. Quo in casu, si diei lectiones rei non congruant, aliæ seligantur ex iis quæ assignantur dominicæ primæ in Quadragesima,[10] vel aliæ aptæ.

Missa pro electione seu inscriptione nominis semper celebrari potest diebus exceptis qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, colore violaceo adhibito.[11]

411. Præparatio Episcopi, concelebrantium, si adsint, aliorumque ministrorum, eorum ingressus in ecclesiam, ritus initiales et liturgia verbi usque ad Evangelium inclusive, peraguntur more consueto.

412. Homilia, rerum adiunctis accommodata, præter catechumenos etiam communitatem fidelium respiciat. In ea Episcopus omnibus

[6] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, nn. 133-151.
[7] Cf. *ibidem*, nn. 22-23, 133.
[8] Cf. *ibidem*, n. 138.
[9] Cf. *ibidem*, n. 139.
[10] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 22-24 et 744.
[11] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 330 et infra Appendix II.

aperiat divinum mysterium, quod in vocatione Ecclesiæ et in eius celebratione liturgica continetur; fidelesque admoneat ut una cum electis, quibus exemplum præbeant, ad sollemnia paschalia se præparent.[12]

413. Post homiliam, omisso symbolo, sacerdos initiationi catechumenorum præpositus, vel diaconus vel catechista vel delegatus communitatis, Episcopo in cathedra sedenti cum mitra eligendos præsentat, verbis in Rituali Romano indicatis, vel similibus.

414. Facta præsentatione, Episcopus iubet ut eligendi vocentur. Tunc singuli nominatim vocantur et unusquisque, cum patrino procedens, coram Episcopo consistit.[13]

415. Post accessum candidatorum, Episcopus sedens in cathedra cum mitra, testimonium patrinorum petit et catechumenos interrogat de ipsorum voluntate accedendi ad sacramenta initiationis. Tandem catechumenos invitat ad sua nomina danda.

416. Et fit inscriptio nominum candidatorum, dum cantus aptus peragitur, ex. gr., Psalmus 15.[14]

417. Absoluta inscriptione nominum, Episcopus, accepto baculo, ad candidatos conversus, proclamat eorum electionem ad sacramenta in Paschate recipienda. Deinde patrinos invitat, ut manum ponant in umerum candidatorum, quos assumunt, vel alium faciant gestum, quo idem significetur.[15]

Tandem, depositis baculo et mitra, Episcopus surgit et monitione deprecationem pro electis introducit. Diaconus intentiones profert; Episcopus vero, manus super electos extendens, deprecationem oratione concludit.

418. Deprecatione absoluta, Episcopus electos dimittit, et cum fidelibus ad celebrandam Eucharistiam procedit. Si tamen propter graviores rationes electi egredi nequeant, et cum fidelibus remanere debeant, caveatur, etiamsi Eucharistiæ adsint, ne partem habeant ad modum baptizatorum.

419. Si ritus electionis seu inscriptionis nominis extra Missam celebratur, Episcopus induit albam, crucem pectoralem, stolam et pro opportunitate pluviale coloris violacei, et sumit mitram simplicem et baculum.

[12] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 142.
[13] Cf. *ibidem*, n. 143.
[14] Cf. *ibidem*, nn. 144-146.
[15] Cf. *ibidem*, n. 147.

Episcopo assistat diaconus, vestibus sui ordinis indutus, ceterique ministri, alba vel alia veste pro eis legitime probata induti.

Post ingressum in ecclesiam, vel aptum locum ubi ritus est peragendus, fit celebratio verbi Dei, lectionibus adhibitis vel e Lectionario Missæ selectis vel aliis aptis.

Omnia deinde fiunt ut supra nn. 412-418 dictum est. Ritus absolvitur apto cantu et omnium, una cum catechumenis, dimissione.[16]

Ritus « traditionum »

420. Catechumenorum institutione perfecta vel tempore congruo incepta, « traditiones » celebrantur, quibus Ecclesia ipsis catechumenis peramanter committit documenta, quæ fidei et orationis compendium ab antiquitate habentur.

421. Optandum est ut traditiones fiant coram communitate fidelium post liturgiam verbi Missæ ferialis, cum lectionibus singulæ traditioni congruentibus, quæ in Lectionario perhibentur.[17]

Propter eorum vero momentum, præstat, si rerum adiuncta id permittunt, Episcopum eis præsidere, dummodo post electionem, et non antea, celebrentur.[18]

422. Missa celebratur, vestibus coloris violacei, more consueto usque ad versum ante Evangelium inclusive.

In traditione Orationis dominicæ diaconus electos invitat, ante Evangelii lectionem, ut coram Episcopo accedant; iisque coram se stantibus, Episcopus, dimissa mitra, surgit et lectione adhibita Evangelii secundum Matthæum, orationem dominicam proclamat, præmissa monitione: *Nunc audíte* vel alia simili.[19]

In traditione vero Symboli legitur Evangelium more consueto.

423. Sequitur deinde homilia, in qua Episcopus, textu sacro innixus, exponit significationem et momentum vel Symboli vel Orationis dominicæ tum respectu catechesis traditæ, tum vitæ christianæ ducendæ.

In traditione Symboli, homilia expleta, diaconus electos invitat ut coram Episcopo accedant; iisque coram se stantibus, Episcopus, dimissa mitra, surgit et præmissa monitione: *Dilectíssimi nobis,* vel alia simili, Symbolum cum tota communitate recitat, electis auscultantibus.[20]

[16] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, nn. 141 et 150; Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 22-24.

[17] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 748-749.

[18] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, nn. 181-182.

[19] Cf. *ibidem,* n. 191.

[20] Cf. *ibidem,* nn. 186-192.

424. His peractis, stans sine mitra, fideles ad orandum invitat et, post brevem orationem silentio factam, precem super electos, manibus super ipsos extensis, profert.

Oratione absoluta, Episcopus electos dimittit, et cum fidelibus ad celebrandam Eucharistiam procedit. Si tamen electi cum fidelibus remanere debeant, caveatur, etiamsi Eucharistiæ adsint, ne partem habeant ad modum baptizatorum.

Missa prosequitur more solito. In Prece eucharistica memoria habeatur de electis et patrinis.

Celebratio sacramentorum Initiationis

425. Præter ea quæ necessaria sunt ad Missæ stationalis celebrationem, parentur: vas cum aqua, oleum catechumenorum, sacrum chrisma, cereus baptismalis, cereus paschalis, Rituale Romanum, calix sufficientis magnitudinis ad Communionem sub utraque specie administrandam, urceus aquæ, bacile et mantile ad manus abluendas et tergendas.

426. Cum ex more Initiatio adultorum in sancta nocte Vigiliæ paschalis celebretur, ad sacramenta conferenda serventur ea quæ supra nn. 356-367 describuntur.

Celebratio Initiationis semper indole paschali refulgeat, etiamsi extra Paschatis Vigiliam peragatur.

Cum autem celebratio fit die quo Missæ rituales permittuntur,[21] dici potest Missa In conferendo Baptismate, cum lectionibus propriis, colore albo adhibito.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.[22]

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[23] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

427. In conferendis autem sacramentis, ea serventur quæ pro Vigilia paschali, nn. 356-367 describuntur. Ceteri ritus explanativi a presbytero peraguntur.

428. Omisso symbolo, Missa prosequitur more consueto.

Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnulli neophyti ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Eucharistia celebranda.

[21] Cf. infra, Appendix III.
[22] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 751-755.
[23] Cf. infra, Appendix II.

In Prece eucharistica fit commemoratio baptizatorum et patrinorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

Expedit ut neophyti sacram Communionem recipiant sub utraque specie; eam recipere possunt etiam eorum parentes, patrini, catechistæ et propinqui.

Tempus mystagogiæ

429. Ad ineundum cum novis Ecclesiæ suæ membris pastorale commercium, curam habeat Episcopus, præsertim si ipse sacramentis Initiationis christianæ præsidere nequierit, ut semel saltem, præsertim vero dominica aliqua Paschæ vel etiam in anniversario Baptismi, neophytos congreget, celebrationique eucharisticæ præsideat, in qua ipsis sub utraque specie communicare licebit.[24]

De ordine simpliciore Initiationis

430. Si in adiunctis extraordinariis Episcopus præsidere debeat Initiationi christianæ adulti Ordine simpliciore, idest uno tantum gressu, celebratæ, omnes ritus qui benedictionem aquæ præcedunt a presbytero peraguntur. Ipse vero Episcopus benedicit aquam baptismalem, interrogationes de abrenuntiationibus et fide facit, Baptismum confert et Confirmationem, ea servando, quæ pro horum sacramentorum administratione in Vigilia paschali (nn. 356-367) describuntur. Ceteri ritus explanativi peraguntur a presbytero.[25]

II. De Baptismo parvulorum

431. Pro Baptismatis celebratione parentur:
- a) vas cum acqua;
- b) oleum catechumenorum;
- c) sacrum chrisma;
- d) cereus baptismalis;
- e) cereus paschalis;
- f) Rituale Romanum;

et insuper pro Episcopo: mitra, baculus, urceus aquæ, bacile et mantile ad manus abluendas et tergendas.

432 Convenit ut Episcopo assistat saltem unus presbyter, qui de more sit parochus, unus diaconus atque aliqui ministri.

Presbyter recipit parvulos et eos ritus peragit, qui præcedunt liturgiam verbi, deinde dicit orationem exorcismi et facit unctionem præbaptismalem, denique post Baptismum unctionem chrismatis, impositionem vestis, traditionem cerei accensi atque ritus *Effetha.*

[24] Cf. Rituale Romanum, Ordo Initiationis christianæ adultorum, nn. 37-40, 235-239.
[25] Cf. *ibidem*, nn. 240-273.

De celebratione Baptismi intra Missam

433. Episcopus, presbyteri qui cum eo convenienter concelebrant et diaconi sacras vestes coloris albi vel festivi induunt, quæ pro Missæ celebratione requiruntur. Si Communio sub utraque specie administratur, calix sufficientis magnitudinis paretur.

434. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[26] dici potest Missa In conferendo Baptismate, cum lectionibus propriis.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.[27]

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[28] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Formula benedictionis finalis ex Ritu Baptismi semper adhiberi potest.

435. Episcopus, ingressu facto in ecclesiam, more solito, cum presbyteris, diaconis et ministris, depositis baculo et mitra, altare veneratur et, pro opportunitate, incensat, ac vadit ad cathedram, ubi salutat populum; deinde sedet cum mitra.

436. Tunc parochus vel alius presbyter accedit cum ministris ad ianuam ecclesiæ, ubi peragit ritus recipiendi parvulos, prouti in Ordine Baptismi parvulorum describuntur.

437. Cum omnes loca sua in ecclesia acceperint, Episcopus, dimissa mitra, surgit et, omissis actu pænitentiali et *Kýrie*, dicit: *Glória in excélsis Deo* iuxta rubricas, et profert collectam.

438. Deinde fit liturgia verbi cum homilia Episcopi. Symbolum omittitur, cum habeatur postea professio fidei ex parte parentum et patrinorum, cui professioni una cum communitate assentitur Episcopus.

439. In fine orationis universalis, quam Episcopus introducit, presbyter dicit orationem exorcismi et facit unctionem præbaptismalem, Episcopo stante ad cathedram.

440. His peractis, Episcopus accipit mitram et baculum et fit processio ad baptisterium si extra ecclesiam vel extra conspectum fidelium positum sit.

Si vero vas aquæ baptismalis in conspectu ipsius congregationis collocatur, Episcopus et parentes ac patrini cum parvulis illud adeunt, ceteris suis locis manentibus.

[26] Cf. infra, Appendix III.
[27] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 756-760.
[28] Cf. infra, Appendix II.

Si baptisterium omnes præsentes continere nequit, Baptismum loco aptiore in ecclesia celebrare licet, accedentibus tempore opportuno parentibus atque patrinis.

Interim, si digne fieri potest, cantatur cantus aptus, ex. gr. Psalmus 22.

In processione ad baptisterium, baptizandi, parentes et patrini sequuntur Episcopum.

441. Cum ad fontem pervenerint, vel ad locum ubi ritus baptismales peragentur, Episcopus introducit hanc partem celebrationis, breviter revocans in mentem adstantium mirabile Dei consilium, qui voluit hominis animam et corpus per aquam sanctificare.

Deinde, depositis baculo et mitra, ad fontem conversus benedictionem aquæ profert, quæ tempori congruit.[29]

442. Postea sedet et, acceptis mitra et baculo, interrogat parentes et patrinos, circa abrenuntiationes satanæ et fidei professionem.[30]

443. Interrogationibus peractis, deposito baculo, surgit et infantes baptizat. Si vero baptizandi numerosiores sunt, sacerdotes et diaconi ei socientur ad parvulos baptizandos.[31]

444. Deinde Episcopus sedet cum mitra, dum parochus vel alius presbyter facit unctionem chrismatis, vestem candidam imponit, cereum accensum tradit et ritum *Effetha,* si hic locum habet, peragit, dicente Episcopo formulas statutas.[32]

445. Postea, nisi Baptismus in ipso presbyterio locum habuerit, fit processio ad altare; baptizati, parentes et patrini Episcopum sequuntur et baptizatorum cerei accensi portantur.[33]

446. Deinde, omisso symbolo, Missa prosequitur more consueto:

Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnulli parentes et patrini baptizatorum ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Eucharistia celebranda.

In Prece eucharistica fit commemoratio baptizatorum et patrinorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

Parentes, patrini et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt.

[29] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, nn. 53-55, 223-224.
[30] Cf. *ibidem,* n. 18 b; 56-59.
[31] Cf. *ibidem,* nn. 60-61.
[32] Cf. *ibidem,* nn. 62-66.
[33] Cf. *ibidem,* n. 67.

447. Ad benedictionem in fine Missæ impertiendam, Episcopus convenienter adhibeat unam e formulis quæ in Ordine Baptismi parvulorum exhibentur.[34]

Matres, parvulos suos in brachiis tenentes, et patres ante Episcopum sistunt. Episcopus vero, ad eos conversus, stans cum mitra, dicit: *Dóminus vobíscum.*[35] Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super populum extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Benedícat vos,* atque signum crucis facit super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra nn. 1120-1121 propositis.

448. Deinde diaconus populum dimittit, dicens: *Ite, missa est;* et omnes respondent: *Deo grátias.*

De celebratione Baptismi extra Missam

449. Episcopus induitur alba, cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris; presbyteri superpelliceo super vestem talarem vel alba et stola; diaconus convenienter sumit dalmaticam.

450. Ingressu in ecclesiam facto more solito, Episcopus cum ad altare pervenit, reverentiam facit, vadit ad cathedram, ubi populum salutat; deinde sedet.

451. Ritus recipiendi parvulos ad ianuam ecclesiæ fit a presbytero, ut in Ordine Baptismi parvulorum describitur.

452. Omnibus suis locis dispositis, fit liturgia verbi, cum homilia Episcopi; deinde omnia peraguntur ut supra nn. 435-445 descriptum est.

453. Cum ad altare pervenerint, Episcopus, deposita mitra, introductionem profert ad orationem dominicam, quam postea cum omnibus dicit.

454. Deinde, mitram gerens, benedictionem profert uti supra n. 447. Celebratio autem concluditur cantico *Magníficat* vel alio congruo cantu.

III. De Confirmatione

455. Confirmationis minister ordinarius est Episcopus. Sacramentum ex more ab ipso administratur, quo apertius referatur ad primam effusionem Spiritus Sancti in die Pentecostes. Nam postquam repleti sunt Spiritu Sancto, Apostoli ipsi per manuum impositionem

[34] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, n. 29, 5; n. 70, vel nn. 247-249.
[35] Cf. *ibidem*, n. 70.

fidelibus Eum transmiserunt. Ita acceptio Spiritus Sancti per ministerium Episcopi arctius vinculum demonstrat, quod confirmatos coniungit Ecclesiæ, necnon mandatum acceptum de Christo testimonium inter homines perhibendi.[36]

456. Gravi de causa, uti aliquando propter multitudinem confirmandorum accidit, Episcopus presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest. Suadetur ut presbyteri invitentur qui:

a) aut peculiari munere vel officio in diœcesi fungantur, scilicet sint aut Vicarii generales, aut Vicarii episcopales, aut Vicarii foranei;

b) aut sint parochi locorum in quibus Confirmatio confertur, vel parochi locorum ad quæ confirmandi pertinent, vel presbyteri qui peculiarem operam naverunt in præparatione catechetica confirmandorum.[37]

457. Ad Confirmationem administrandam parentur:

a) sacræ vestes pro celebratione necessariæ, prout ritus intra Missam vel sine Missa peragitur, iuxta ea quæ infra nn. 458 et 473 indicantur;

b) sedes pro presbyteris Episcopum adiuvantibus;

c) vasculum vel vascula, cum sacro chrismate;

d) Pontificale Romanum;

e) ea quæ necessaria sunt ad manus abluendas post unctionem confirmatorum;

f) si Confirmatio intra Missam confertur, et si sacra Communio sub utraque specie distribuitur, calix sufficientis magnitudinis.[38]

Celebratio de more fit ad cathedram. Si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo ante altare vel loco aptiore.

De Confirmatione intra Missam conferenda

458. Omnino convenit ut Episcopus Missam celebret. Presbyteri qui eum adiuvabunt in Confirmatione conferenda, cum ipso concelebrent. Omnes proinde sacris vestibus pro Missa requisitis induuntur.

Si vero Missa ab alio celebratur, convenit ut Episcopus liturgiæ verbi præsideat et in fine Missæ det benedictionem, ut supra nn. 175-185 describitur. Quo in casu Episcopus induitur alba, cruce pectorali, stola et pluviali coloris Missæ convenientis, mitra insuper et baculo utitur; presbyteri autem qui eum in Confirmatione conferenda adiuvabunt, nisi concelebrent, superpelliceum super vestem talarem, vel albam, stolam et, pro opportunitate, pluviale assumunt.

[36] Pontificale Romanum, Ordo Confirmationis, n. 7.
[37] *Ibidem*, n. 8 a-b.
[38] Cf. *ibidem*, n. 19.

459. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[39] dici potest Missa In conferenda Confirmatione, cum lectionibus propriis,[40] colore rubro vel albo adhibito.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[41] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Formula benedictionis finalis propria Missæ ritualis semper adhiberi potest.

460. Ingressus in ecclesiam, ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more solito, usque ad Evangelium.

461. Dicto Evangelio, Episcopus, cum mitra in cathedra vel in sede parata sedet (presbyteri qui ipsi sociantur prope eum sedent).

Confirmandi præsentantur a parocho vel ab alio presbytero vel a diacono vel etiam a catechista, secundum morem uniuscuiusque regionis, hoc modo: singuli confirmandi, si fieri potest, nominatim vocantur, singulique accedunt ad presbyterium; si vero sunt pueri, adducuntur ab uno e patrinis vel ab uno e parentibus, et coram Episcopo consistunt. Si confirmandi permulti sunt, nominatim non vocantur; disponuntur tamen loco opportuno coram Episcopo.[42]

462. Tunc Episcopus brevem homiliam habet, qua, illustrans lectiones biblicas, confirmandos eorumque patrinos et parentes ac totum cœtum fidelium veluti manu ducit ad profundius intellegendum Confirmationis mysterium,[43] adhibita si libuerit, allocutione quæ in Pontificali exhibetur.

463. Homilia expleta, Episcopus, sedens cum mitra et baculo, interrogat confirmandos, qui omnes simul stant, renovationem ab eis petens promissionum baptismalium,[44] et in fine proclamat Ecclesiæ fidem cui communitas assentitur acclamatione vel apto cantu.

464. Deinde, dimissis baculo et mitra, surgit et (habens apud se presbyteros quos ipse sibi sociavit), manibus iunctis, versus ad populum dicit monitionem: *Orémus, dilectíssimi,* post quam omnes per aliquod temporis spatium silentio orant.[45]

[39] Cf. infra, Appendix III.
[40] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 764-768.
[41] Cf. infra, Appendix II.
[42] Cf. Pontificale Romanum, Ordo Confirmationis, n. 21.
[43] *Ibidem*, n. 22.
[44] Cf. *ibidem*, n. 23.
[45] Cf. *ibidem*, n. 24.

Postea Episcopus (et presbyteri quos ipse sibi sociavit) manus super confirmandos imponunt. Solus autem Episcopus dicit orationem *Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi.*[46]

465. Postea Episcopus sedet et mitram accipit. Accedit diaconus deferens vasculum seu vascula sacri chrismatis. Si presbyteri Episcopum adiuvant ad conferendam unctionem, omnia vascula sacri chrismatis a diacono Episcopo afferuntur, qui ea præbet unicuique presbytero ad se accedenti.

466. Deinde aut confirmandi accedunt ad Episcopum et ad presbyteros aut, pro opportunitate, Episcopus, gestans mitram et baculum, et presbyteri accedunt ad singulos confirmandos.

Qui autem confirmandum præsentavit, ponit manum dexteram super umerum eius et dicit Episcopo nomen eius, vel confirmandus sua sponte nomen dicit.[47]

467. Episcopus (vel presbyter), summitate pollicis dexteræ manus in chrismate intincta, ducit pollice signum crucis in fronte confirmandi dicens formulam sacramentalem. Responso *Amen* a confirmato, subdit: *Pax tibi,* ad quod confirmatus respondet: *Et cum spíritu tuo.* Inter unctionem cani potest cantus aptus.[48]

468. Post unctionem Episcopus (et presbyteri) lavant manus.

469. Deinde Episcopus, stans sine mitra, facit monitionem ad orationem universalem, eamque concludit.

470. Symbolum omittitur, cum professio fidei iam facta sit. Missa prosequitur more solito.

Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnulli e confirmatis ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Eucharistia celebranda.

In Prece eucharistica fit commemoratio confirmatorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

Confirmati, eorumque patrini, parentes, catechistæ et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt.[49]

471. Ad benedictionem in fine Missæ impertiendam, ab Episcopo adhibeatur benedictio sollemnis vel oratio super populum, ut in Pontificali Romano.[50]

[46] Cf. Pontificale Romanum, Ordo Confirmationis, n. 25.
[47] Cf. *ibidem,* n. 26; 28.
[48] Cf. *ibidem,* n. 27.
[49] Cf. *ibidem,* nn. 31-32.
[50] *Ibidem,* n. 33.

Nuper confirmati ante Episcopum sistunt. Episcopus vero, stans cum mitra, dicit: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super populum extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Benedícat vos,* atque signum crucis facit super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra nn. 1120-1121 propositis.

472. Deinde diaconus populum dimittit, dicens: *Ite, missa est.* Omnes respondent: *Deo grátias.*

De Confirmatione sine Missa conferenda

473. Episcopus induitur alba, cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris, ac utitur mitra et baculo. Presbyteri qui ei sociantur induuntur superpelliceo super vestem talarem vel alba, stola et, pro opportunitate, pluviali albi coloris. Diaconi alba et stola aliique ministri albis, vel aliis vestibus legitime pro eis probatis, induuntur.

474. Confirmandis, parentibus, patrinis et omni cœtu fidelium congregatis, dum fit cantus aptus, Episcopus cum presbyteris, diaconis aliisque ministris accedit ad presbyterium, factaque altari reverentia vadit ad cathedram, ubi, depositis baculo et mitra, populum salutat, ac statim subdit orationem: *Præsta, quǽsumus.*

475. Celebratio verbi, præsentatio confirmandorum, homilia et reliqua peraguntur prouti supra nn. 461-469 describitur.

476. Expleta oratione universali, quam Episcopus apta monitione introducere potest, dicitur ab omnibus oratio dominica. Deinde Episcopus addit orationem: *Deus, qui Apóstolis tuis.*

477. Benedictio impertitur ab Episcopo modo supra n. 471 descripto. Deinde diaconus populum dimittit, dicens: *Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias.*

CAPUT II

DE SACRAMENTO ORDINIS

PRÆNOTANDA

478. « Christus Dominus, ad populum Dei pascendum semperque augendum, in Ecclesia sua varia ministeria instituit, quæ ad bonum totius Corporis tendunt ».[51]

Nam ipse « Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, consecrationis missionisque suæ per Apostolos suos, eorum successores, videlicet Episcopos participes effecit, qui munus ministerii sui, vario gradu, variis subiectis in Ecclesia legitime tradiderunt.

Sic ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus exercetur ab illis, qui iam ab antiquo Episcopi, Presbyteri, Diaconi vocantur ».[52]

Episcopi, plenitudine sacramenti Ordinis insigniti, sunt œconomi gratiæ supremi sacerdotii, et Ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi, una cum presbyterio suo, regunt.[53]

« Presbyteri, quamvis pontificatus apicem non habeant et in exercenda sua potestate ab Episcopis pendeant, cum eis tamen sacerdotali honore coniuncti sunt et vi sacramenti Ordinis, ad imaginem Christi, summi atque æterni Sacerdotis, ad Evangelium prædicandum fidelesque pascendos et ad divinum cultum celebrandum consecrantur, ut veri sacerdotes Novi Testamenti ».[54]

« In gradu inferiori hierarchiæ sistunt Diaconi, quibus non ad sacerdotium, sed ad ministerium manus imponuntur. Gratia etenim sacramentali roborati, in diaconia liturgiæ, verbi et caritatis populo Dei, in communione cum Episcopo eiusque presbyterio, inserviunt ».[55]

I. DE ADMISSIONE INTER CANDIDATOS AD DIACONATUM ET PRESBYTERATUM

479. Ritus admissionis eo tendit, ut qui ad Diaconatum vel Presbyteratum aspirat, publice manifestet suam voluntatem se Deo et Ecclesiæ offerendi, ad sacrum Ordinem exercendum; Ecclesia vero, hanc oblationem accipiens, eum eligit et vocat, ut ad sacrum Ordinem

[51] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 18.
[52] *Ibidem*, n. 28.
[53] Cf. *ibidem*, nn. 26, 27; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, *Christus Dominus*, n. 1.
[54] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 28.
[55] *Ibidem*, n. 29.

recipiendum se præparet, et hac ratione inter candidatos ad Diaconatum vel Presbyteratum rite cooptetur.[56]

Professi in religionibus clericalibus, ad Presbyteratum contendentes, hoc ritu non tenentur.

480. Ritus admissionis celebrandus est cum adspirantium propositum, necessariis dotibus suffultum, ad sufficientem maturitatem pervenisse constat.

Celebratur autem ab Episcopo vel Superiore maiore clericalis Instituti religiosi, pro qualitate adspirantis.[57]

481. Ritus admissionis peragi potest quolibet die, præsertim vero diebus festivis, in ecclesia vel alio loco apto, aut intra Missam aut in celebratione verbi Dei. Attamen propter suam indolem numquam cum sacris Ordinibus vel cum institutione lectorum aut acolythorum coniungatur.[58]

482. Episcopus habeat secum diaconum vel presbyterum deputatum ad candidatos vocandos, necnon alios ministros convenientes.

Si ritus celebratur intra Missam, Episcopus induit vestes sacras pro celebratione eucharistica requisitas et utitur mitra et baculo; si vero extra Missam celebratur, potest aut crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis induere supra albam, aut tantum crucem et stolam super rochetum et mozetam assumere: hoc in casu non utitur mitra nec baculo.

483. Si ritus intra Missam celebratur, dici potest Missa pro vocationibus ad sacros Ordines, cum lectionibus propriis[59] ritus admissionis, colore albo adhibito.

Occurrentibus vero diebus, qui sub nn. 1-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[60] dicitur Missa de die.

Quando non dicitur Missa pro vocationibus ad sacros Ordines, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro ritu admissionis proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum[61] recensetur.

484. Si vero fit tantum celebratio verbi Dei, hæc incipi potest antiphona congrua et, post salutationem Episcopi, collecta eiusdem

[56] Cf. Paulus VI, Litteræ Apostolicæ *Ad Pascendum*, 15 augusti 1972: A.A.S. 64 (1972), p. 538.
[57] Cf. Pontificale Romanum, De admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum, nn. 1-2.
[58] Cf. *ibidem*, n. 3.
[59] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 775-779.
[60] Cf. infra, Appedix II.
[61] Cf. infra, Appedix II.

Missæ. Lectiones sumuntur ex iis quæ pro hac celebratione in Lectionario indicantur.

485. Dicto Evangelio, Episcopus, convenienter gerens mitram et baculum ac sedens in cathedra, homiliam habet, quam concludit allocutione quæ in Pontificali exhibetur vel aliis verbis similibus.[62]

486. Deinde diaconus vel presbyter ad hoc deputatus adspirantes nominatim vocat. Singuli autem respondent: *Adsum;* et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt.[63]

487. Episcopus eos interrogat verbis in Pontificali Romano expressis vel aliis a Conferentia Episcoporum pro opportunitate statutis. Præterea, si placet, propositum candidatorum ab Episcopo accipi potest etiam aliquo signo externo a Conferentia Episcoporum determinato. Episcopus concludit, dicens: *Cum gáudio,* et omnes respondent: *Amen.*[64]

488. Tunc Episcopus deponit baculum et mitram ac surgit, et cum eo omnes pariter surgunt. Dicitur symbolum, si occurrit secundum rubricas. Deinde Episcopus fideles ad orandum invitat dicens: *Deum ac Dóminum nostrum,* Diaconus vero aut alius minister idoneus intentiones orationis proponit, omnibus congrua acclamatione respondentibus. Deinde Episcopus dicit orationem: *Adésto* vel *Fámulis tuis.*[65]

489. Si admissio celebratur intra Missam, hæc continuatur more consueto.

Si vero fit inter celebrationem verbi Dei, Episcopus cœtum congregatum salutat et benedicit; diaconus vero eum dimittit dicens: *Ite in pace,* cui omnes respondent: *Deo grátias.*[66]

490. « Candidati ad Diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, et ad Presbyteratum ministeria lectoris et acolythi debent recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris ».[67]

Ritus institutionis lectorum et acolythorum describitur infra nn. 769-799.

II. Quædam normæ generales dispositionem ritus sacrarum ordinationum spectantes

491. Ordinatio sive diaconorum, sive presbyterorum, sive præcipue Episcopi fiat cum fidelium quam maxima frequentia, die domi-

[62] Cf. Pontificale Romanum, De admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum, n. 5.
[63] Cf. *ibidem,* n. 6.
[64] Cf. *ibidem,* n. 7.
[65] Cf. *ibidem,* nn. 8-10.
[66] Cf. *ibidem,* n. 11.
[67] Paulus VI, Litt. Apost. *Ad Pascendum,* II, 15 augusti 1972: A.A.S. 64 (1972), p. 539.

nico vel festo, nisi rationes pastorales alium diem suadeant, ex. gr., pro ordinatione Episcopi, festum Apostolorum.[68]

492. Ordinatio peragenda est intra Missarum sollemnia, ritu stationali celebrata, generaliter in cathedrali ecclesia. Ob rationes tamen pastorales in alia ecclesia aut in oratorio celebrari potest.

493. Ordinatio de more fiat ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, fiat ante altare vel alio loco aptiore.

Sedes pro ordinandis sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

494. Extra dies qui sub nn. 1-4 tabulæ præcedentiæ dierum liturgicorum recensentur,[69] et festa Apostolorum, Missa in qua sacri Ordines conferuntur hoc modo ordinari potest:

a) ad introitum et ad Communionem canuntur antiphonæ Missæ ritualis In conferendis sacris Ordinibus;

b) orationes seligantur quæ sunt magis aptæ ex iis quæ in Missali Romano inter Missas et orationes pro variis necessitatibus proponuntur pro Episcopo, pro sacerdotibus, pro ministris Ecclesiæ;

c) lectiones sumantur ex iis quæ in Lectionario pro iis celebrationibus indicantur;[70]

d) nisi dicenda sit præfatio magis propria, quando fit ordinatio presbyterorum sumi potest præfatio quæ habetur in Missa Chrismatis;[71]

e) in Prece eucharistica fit commemoratio ordinatorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, vel festis Apostolorum, dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

III. De ordinatione Diaconorum

495. Ordinandi sumunt amictum, albam, cingulum. Parentur insuper pro singulis ordinandis stolæ et dalmaticæ.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, vel coloris albi vel festivi.[72]

[68] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi: De ordinatione Diaconorum, n. 1; De ordinatione Presbyterorum, n. 1; De ordinatione Episcopi, n. 1.

[69] Cf. infra, Appendix II.

[70] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 770-774.

[71] Cf. Missale Romanum, In conferendis sacris Ordinibus.

[72] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 310.

496. Præter ea quæ supra enumerantur, et ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Pontificale Romanum;

b) sedes pro Episcopo, si ordinatio non fit ad cathedram;

c) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

497. Omnibus rite dispositis, ordinetur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Ordinandi præcedunt diaconum qui librum Evangeliorum defert.

498. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usque dum ordinatis tradatur.

499. Dicto Evangelio, incipit ordinatio diaconorum. Episcopus in cathedra vel ad sedem paratam sedet et accipit mitram.

500. Ordinandi vocantur a diacono hoc modo: *Accédant qui ordinándi sunt Diáconi.* Et mox singulatim ab eodem nominantur, et unusquisque vocatus dicit: *Adsum,* et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.[73]

501. Omnibus coram Episcopo dispositis, presbyter ab Episcopo deputatus eos præsentat, ut in Pontificali indicatur. Episcopus concludit dicens: *Auxiliánte Dómino,* et omnes dicunt: *Deo grátias,* vel alio modo a Conferentia Episcoporum determinato, electioni assentiunt.[74]

502. Deinde, omnibus sedentibus, Episcopus, gerens mitram et baculum, nisi ipsi aliter videatur, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum sacrarum quæ in Missa lectæ sunt, populum et electos alloquitur de munere diaconi, quod facere potest verbis Pontificalis Romani (n. 14) aut propriis verbis usus; et, si adsunt ordinandi qui sacrum cælibatum amplecti debent, etiam de momento atque significatione sacri cælibatus in Ecclesia.[75]

503. Homilia peracta, fit publica cælibatus assumptio a candidatis ad Presbyteratum et a candidatis non uxoratis ad Diaconatum, qui surgunt, vocante diacono, et coram Episcopo consistunt, qui eos alloquitur monitione in Pontificali ad hoc destinata vel aliis similibus verbis.

[73] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum, nn. 10-11.
[74] Cf. *ibidem,* nn. 12-13.
[75] Cf. Pontificale Romanum, De sacro cælibatu amplectendo, n. 3.

504. Deinde electi propositum sacri cælibatus amplectendi manifestant, sive respondendo: *Volo,* Episcopo eos interroganti, sive etiam aliqua forma externa a Conferentia Episcoporum statuta.

Episcopus autem concludit, dicens: *Det vobis Dóminus in sancto propósito perseveráre;* cui electi respondent: *Amen.*[76]

505. Accedunt deinde alii electi ad Diaconatum, qui obligatione non tenentur propositum sacri cælibatus assumendi. Episcopus interrogat omnes electos coram se stantes, una simul, iuxta textum Pontificalis Romani (n. 15), addita, post tertiam interrogationem inibi inscriptam, interrogatione de celebranda Liturgia Horarum.[77]

506. Demum Episcopus deponit baculum, unusquisque electorum accedit ad Episcopum, ante eum genuflectit et manus suas iunctas inter manus Episcopi ponit.

Episcopus a singulis petit promissionem obœdientiæ, iuxta formulam in Pontificali propositam.

Sicubi ritus ponendi manus iunctas inter manus Episcopi minus conveniens videatur, Conferentiæ Episcoporum est alium statuere.[78]

507. Deinde Episcopus, dimissa mitra, surgit, et cum eo omnes. Stans autem versus ad populum, manibus iunctis, Episcopus invitatorium *Orémus, dilectíssimi* profert. Diaconus deinde dicit: *Flectámus génua;* et mox Episcopus ante sedem suam genua flectit, electi vero procumbunt; ceteri autem suis locis genua flectunt.

Tempore tamen paschali et dominicis, diaconus non dicit: *Flectámus génua;* electi quidem procumbunt, ceteri vero stantes remanent.

Tunc cantores incipiunt litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum, ex. gr., Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis: nam litaniæ locum tenent orationis universalis.[79]

508. Litaniis expletis, solus Episcopus surgit et, manibus extensis, dicit orationem *Dómine Deus, preces nostras cleménter exáudi;* eaque expleta, diaconus subdit: *Leváte* (si ante litanias ad genuflectendum invitaverat), et omnes surgunt.[80]

509. Unusquisque electorum accedit ad Episcopum ante sedem stantem cum mitra, et coram eo genua flectit. Episcopus singulis imponit manus super caput, nihil dicens.[81]

[76] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum, n. 4.
[77] Cf. Pontificale Romanum, De sacro cælibatu amplectendo, n. 5.
[78] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum, n. 16.
[79] Cf. *ibidem,* nn. 17-18.
[80] Cf. *ibidem,* n. 19.
[81] Cf. *ibidem,* n. 20.

510. Deinde Episcopus deponit mitram. Electis ante ipsum genuflexis, canit vel dicit orationem consecrationis, manibus extensis.[82]

511. Finita oratione consecrationis, Episcopus sedet et accipit mitram. Ordinati surgunt, et aliqui diaconi vel presbyteri imponunt unicuique stolam more diaconali et eum induunt dalmatica. Interim cani potest Psalmus 83 vel alius cantus aptus. Cantus prosequitur usque dum omnes ordinati dalmatica sunt induti.[83]

512. Ordinati, vestibus diaconalibus induti, accedunt ad Episcopum, qui librum Evangeliorum unicuique ante se genuflexo in manus tradit, dicens: *Accipe Evangélium Christi.*[84]

513. Demum Episcopus singulos ordinatos recipit ad osculum pacis, dicens: *Pax tibi.* Ordinatus respondet: *Et cum spíritu tuo.*

Si rerum adiuncta id permittunt, alii diaconi præsentes osculo pacis significare possunt diaconos nuper ordinatos sibi in ordine consociatos esse.

Interim cani potest Psalmus 145 vel alius cantus aptus.[85]

514. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio autem universalis omittitur.

515. Liturgia eucharistica fit secundum Ordinem Missæ. Aliqui ex ordinatis oblata deferunt Episcopo pro celebratione Missæ; unus saltem ex illis ministrat Episcopo ad altare.

516. In Prece eucharistica fit commemoratio ordinatorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

517. Diaconi modo ordinati communicantur sub utraque specie. Diaconus Episcopo ministrans fungitur ministerio calicis. Aliqui e diaconis modo ordinatis Episcopum adiuvant in distribuenda Communione fidelibus.[86]

Communionem sub utraque specie recipere possunt etiam parentes et propinqui ordinatorum.

Ritus conclusionis more consueto fiunt.

IV. De ordinatione Presbyterorum

518. Omnes presbyteri in Missa suæ ordinationis concelebrant cum Episcopo. Valde convenit ut Episcopus etiam alios presbyteros ad concelebrandum admittat; hoc in casu presbyteri modo ordinati primum locum obtinebunt ante ceteros presbyteros concelebrantes.[87]

[82] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum, n. 21.
[83] Cf. *ibidem,* nn. 22-23.
[84] Cf. *ibidem,* n. 24.
[85] Cf. *ibidem,* nn. 25-26.
[86] Cf. *ibidem,* n. 28.
[87] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Presbyterorum, n. 3.

519. Ordinandi sumunt amictum, albam, cingulum et stolam diaconalem. Parentur insuper pro singulis ordinandis casulæ.

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, vel albi vel festivi.

520. Præter ea quæ supra enumerantur et ea quæ ad Missæ stationalis celebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Pontificale Romanum;

b) stolæ pro presbyteris non concelebrantibus, qui manus ordinandis imponent;

c) gremiale linteum;

d) sacrum chrisma;

e) ea quæ ad manuum lotionem necessaria sunt sive pro Episcopo sive pro ordinandis;

f) sedes pro Episcopo, si ordinatio non fit ad cathedram;

g) calix sufficientis magnitudinis pro Communione concelebrantium et aliorum quibus competit.[88]

521. In processione ad introitum, ordinandi sequuntur alios diaconos, et præcedunt presbyteros concelebrantes.[89]

522. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more solito.

523. Dicto Evangelio, incipit ordinatio presbyterorum. Episcopus in cathedra vel ad sedem paratam sedet et accipit mitram.

524. Ordinandi vocantur a diacono hoc modo: *Accédant qui ordinándi sunt presbýteri.* Et mox singulatim ab eodem nominantur, et unusquisque vocatus dicit: *Adsum,* et accedit ad Episcopum, cui reverentiam facit.[90]

525. Omnibus coram Episcopo dispositis, presbyter ab Episcopo deputatus eos præsentat ut in Pontificali indicatur.[91] Episcopus concludit dicens: *Auxiliánte Dómino,* et omnes dicunt: *Deo grátias,* vel alio modo a Conferentia Episcoporum determinato, electioni assentiunt.

526. Deinde, omnibus sedentibus, Episcopus cum mitra et baculo, nisi ipsi aliter videatur, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum sacrarum quæ in Missa lectæ sunt, populum et electos alloquitur de munere presbyteri: quod facere potest aut verbis Pontificalis Romani (n. 14) aut propriis verbis usus.[92]

[88] Cf. *ibidem,* n. 4.
[89] Cf. *ibidem,* n. 5.
[90] Cf. *ibidem,* nn. 10-11.
[91] Cf. *ibidem,* nn. 12-13.
[92] Cf. *ibidem,* n. 14.

527. Post homiliam, electi stant coram Episcopo, qui eos una simul interrogat, ut in Pontificali præcipitur.[93]

528. Deinde Episcopus baculum dimittit, unusquisque electorum accedit ad Episcopum, ante eum genuflectit et manus suas iunctas inter manus Episcopi ponit.

Episcopus a singulis petit promissionem obœdientiæ, iuxta formulam in Pontificali propositam.

Sicubi ritus ponendi manus iunctas inter manus Episcopi minus aptus videatur, Conferentiæ Episcoporum est alium statuere.[94]

529. Deinde Episcopus, dimissa mitra, surgit, et cum eo omnes. Stans autem versus ad populum, manibus iunctis, Episcopus invitatorium *Orémus, dilectíssimi* profert. Diaconus deinde dicit: *Flectámus génua;* et mox Episcopus ante sedem suam genua flectit, electi vero procumbunt; ceteri suis locis genua flectunt.

Tempore autem paschali et dominicis, diaconus non dicit: *Flectámus génua;* electi quidem procumbunt, ceteri vero stantes remanent.

Tunc cantores incipiunt litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum, ex. gr., Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui ordinationem recipiunt, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis: nam litaniæ locum tenent orationis universalis.[95]

530. Litaniis expletis, solus Episcopus surgit et, manibus extensis, dicit orationem *Exáudi nos, quǽsumus, Dómine Deus noster;* eaque expleta, diaconus subdit: *Leváte* (si ante litanias ad genuflectendum invitaverat), et omnes surgunt.[96]

531. Unusquisque electorum accedit ad Episcopum et coram eo genua flectit. Episcopus, accepta mitra, singulis imponit manus super caput, nihil dicens.[97]

532. Deinde presbyteri concelebrantes atque omnes alii presbyteri, dummodo sint stolis induti super albam aut vestem talarem cum superpelliceo, singulis electis manus imponunt, nihil dicentes. Post impositionem manuum, presbyteri circa Episcopum manent usquedum oratio consecrationis finiatur.[98]

[93] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Presbyterorum, n. 15.
[94] Cf. *ibidem*, n. 16.
[95] Cf. *ibidem*, nn 17-18.
[96] Cf. *ibidem*, n. 19.
[97] Cf. *ibidem*, n 20.
[98] Cf. *ibidem*, n. 21; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. tertia ad Constitutionem de sacra Liturgia recte ordinandam, 5 septembris 1970, n. 8 c: A.A.S. 62 (1970), p. 701.

533. Deinde Episcopus, dimissa mitra, electis ante ipsum genuflexis, canit vel dicit orationem consecrationis, manibus extensis.[99]

534. Finita oratione consecrationis, Episcopus sedet et accipit mitram. Ordinati surgunt. Presbyteri adstantes revertuntur ad loca sua; aliqui tamen ex illis unicuique ordinato disponunt stolam more presbyterali et eum induunt casula.[100]

535. Postea Episcopus assumit gremiale linteum et inungit sacro chrismate palmas manuum uniuscuiusque ordinati ante se genuflexi, dicens: *Dóminus Iesus Christus.* Deinde Episcopus et ordinati lavant manus.[101]

536. Dum ordinati induuntur stola et casula, et dum Episcopus illis manus inungit, canitur hymnus: *Veni, creátor,* vel Psalmus 109 cum antiphona in Pontificali indicata aut alius cantus aptus.[102]

Cantus prosequitur usquedum omnes ordinati ad propria loca redierunt.

537. Deinde fideles panem supra patenam et calicem, vino et aqua in eum immissis, pro Missæ celebratione afferunt. Diaconus ea recipit et affert Episcopo, qui ipsa unicuique ordinato ante se genuflexo in manus tradit, dicens: *Accipe oblatiónem.*[103]

538. Demum Episcopus singulos ordinatos recipit ad osculum pacis, dicens: *Pax tibi.* Ordinatus respondet: *Et cum spíritu tuo.*

Si rerum adiuncta id permittunt, alii presbyteri præsentes osculo pacis significare possunt presbyteros nuper ordinatos sibi in ordine consociatos esse.

Interim cani potest Psalmus 99, responsorium *Iam non dicam* vel alius cantus aptus.[104] Cantus prosequitur usquedum omnes osculum pacis sibi dederunt.

539. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio autem universalis omittitur.

540. Liturgia eucharistica fit secundum ordinem concelebrationis Missæ; attamen omittitur præparatio calicis.[105]

541. In Prece eucharistica fit commemoratio ordinatorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

[99] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Presbyterorum, n. 22.
[100] Cf. *ibidem,* n. 23.
[101] Cf *ibidem,* n. 24.
[102] *Ibidem,* n. 25.
[103] *Ibidem,* n. 26.
[104] *Ibidem,* n. 27.
[105] *Ibidem,* n. 29.

542. Parentes et propinqui ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.[106]

Ritus conclusionis more consueto fiunt.

V. De ordinatione Diaconorum et Presbyterorum in una actione liturgica [107]

543. Ad præparationem ordinandorum et celebrationis, ea serventur quæ supra, nn. 495-496 et 518-520, describuntur.

544. In processione ad introitum, ordinandi diaconi præcedunt diaconum ferentem librum Evangeliorum, ordinandi vero presbyteri sequuntur alios diaconos et præcedunt presbyteros concebrantes.

545. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

546. Dicto Evangelio, incipit ordinatio. Episcopus in cathedra vel ad sedem paratam sedet, et accipit mitram.

547. Tunc vocantur a diacono et præsentantur a presbytero ad hoc deputato electi ad Diaconatum, modo supra, nn. 500-501, descripto; et mox electi ad Presbyteratum, modo nn. 524-525 indicato.

548. Postea, omnibus sedentibus, etiam Episcopus cum mitra et baculo nisi ipsi aliter videatur, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum sacrarum quæ in Missa lectæ sunt, populum et electos alloquitur de munere diaconi et presbyteri; et, si adsunt ordinandi diaconi qui sacrum cælibatum amplecti debent, etiam de momento et significatione sacri cælibatus in Ecclesia. Quod facere potest aut verbis Pontificalis (n. 10) aut verbis propriis usus.[108]

549. Homilia expleta, electi qui debent propositum sacri cælibatus amplectendi manifestare, surgunt et, vocante diacono, coram Episcopo consistunt, qui eos alloquitur monitione in Pontificali ad hoc destinata, vel aliis similibus verbis.[109]

550. Deinde electi propositum sacri cælibatus amplectendi manifestant sive respondendo: *Volo*, Episcopo eos interroganti, sive aliqua forma externa a Conferentia Episcoporum statuta.

Episcopus autem concludit, dicens: *Det vobis Dóminus in sancto propósito perseveráre;* cui electi respondent: *Amen.*

[106] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 242, 13.
[107] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum et de ordinatione Presbyterorum in una actione liturgica simul conferendis.
[108] Cf. Pontificale Romanum, *ibidem*, n. 10 et De sacro cælibatu amplectendo, n. 3.
[109] Cf. *ibidem*, n. 4.

551. Accedunt deinde alii electi ad Diaconatum, qui obligatione non tenentur propositum sacri cælibatus assumendi. Episcopus interrogat omnes electos coram se stantes, una simul, secundum textum Pontificalis Romani (n. 11), addita, post tertiam interrogationem inibi inscriptam, interrogatione de celebranda Liturgia Horarum.[110]

552. Demum Episcopus deponit baculum, unusquisque electorum ad Diaconatum accedit ad Episcopum, ante eum genuflectit et manus suas iunctas inter manus Episcopi ponit.

Episcopus a singulis petit promissionem obœdientiæ, iuxta formulam in Pontificali (n. 12) propositam.

Sicubi ritus ponendi manus iunctas inter manus Episcopi minus aptus videatur, Conferentiæ Episcoporum est alium statuere.[111]

553. His expletis, ordinandi diaconi aliquantum in partem recedunt, et surgunt ordinandi presbyteri, qui coram Episcopo consistunt. Episcopus eos interrogat, una simul, et unusquisque postea accedit ad Episcopum, ante eum genuflectit et eodem ritu quo supra n. 507, Episcopus a singulis petit promissionem obœdientiæ, formulis adhibitis in Pontificali propositis.[112]

554. Deinde Episcopus, dimissa mitra, surgit, et cum eo omnes, et dicuntur litaniæ cum sua monitione introductionis et oratione conclusionis ut supra nn. 507-508 indicatur.

Litaniis autem expletis, electi ad Presbyteratum recedunt, et fit ordinatio diaconorum.[113]

555. Ordinatio diaconorum fit iis servatis quæ supra nn. 509-512 describuntur. Osculum pacis datur post expletam ordinationem presbyterorum.

556. Ordinatione diaconorum expleta, diaconi ad loca sua recedunt, et accedunt electi ad Presbyteratum.

Episcopus, deposita mitra, surgit, et omnes cum eo. Episcopus stans, manibus iunctis, versus ad populum, dicit monitionem: *Orémus, dilectíssimi.* Diaconus vero subdit: *Flectámus génua,* et omnes genua flectunt et per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde solus Episcopus surgit et, manibus extensis, dicit orationem: *Exáudi nos;* eaque expleta, diaconus dicit: *Leváte,* et omnes surgunt.[114]

[110] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum et de ordinatione Presbyterorum in una actione liturgica simul conferendis, n. 11 et De sacro cælibatu amplectendo, n. 5.

[111] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum et de ordinatione Presbyterorum in una actione liturgica simul conferendis, n. 12.

[112] Cf. *ibidem,* nn. 12-13.

[113] Cf. *ibidem,* n. 16.

[114] Cf. *ibidem,* nn. 22-24.

Tempore tamen paschali et dominicis non dicitur *Flectámus génua* neque genuflectitur.

557. Sequitur deinde ordinatio presbyterorum, iis servatis quæ supra nn. 531-538 describuntur.

558. Postquam Episcopus presbyteros ordinatos ad osculum pacis receperit, diaconos item ad osculum pacis admittit. Si rerum adiuncta id permittunt, alii presbyteri præsentes osculo pacis significare possunt presbyteros nuper ordinatos sibi in ordine consociatos esse, et diaconi respective diaconos nuper ordinatos.

Interim canitur Psalmus 99 vel responsorium *Iam non dicam* vel alius cantus aptus.[115]

559. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio autem universalis omittitur.

560. Liturgia eucharistica fit secundum ordinem concelebrationis Missæ; attamen omittitur præparatio calicis. Unus ex ordinatis diaconis ministrat Episcopo ad altare.

561. In Prece eucharistica fit commemoratio ordinatorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.[116]

562. Diaconi modo ordinati communicantur sub utraque specie. Diaconus Episcopo ministrans fungitur ministerio calicis. Aliqui e diaconis modo ordinatis Episcopum adiuvant in distribuenda Communione fidelibus.[117]

Parentes et propinqui ordinatorum Communionem sub utraque specie recipere possunt.

Ritus conclusionis more consueto fiunt.

VI. De ordinatione Episcopi

563. Valde convenit ordinationem Episcopi fieri in sua ecclesia cathedrali. Quo in casu ostenduntur et leguntur Litteræ apostolicæ atque ordinatus in sua cathedra sedet, ut infra nn. 573 et 589 dicitur.

564. Episcopus consecrator principalis debet saltem alios duos Episcopos consecrantes adhibere, qui cum ipso et cum electo Missam concelebrent; sed decet omnes Episcopos præsentes una cum consecratore principali electum ordinare.[118]

[115] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconorum et de ordinatione Presbyterorum in una actione liturgica simul conferendis, nn. 31-32.
[116] Cf. *ibidem,* n. 33.
[117] Cf. *ibidem,* n. 34.
[118] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Episcopi, n. 2.

565. Valde convenit ut omnes Episcopi consecrantes, necnon presbyteri electo assistentes, cum consecratore principali et cum electo Missam concelebrent. Si ordinatio fit in ecclesia propria electi, etiam aliqui presbyteri eius presbyterii concelebrent.[119]

Curandum est tamen ut distinctio inter Episcopos et presbyteros manifeste appareat etiam dispositione locorum.

566. Electo assistant duo presbyteri.[120]

567. Consecrator principalis necnon Episcopi et presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ sibi respective ad Missæ celebrationem requiruntur. Electus induit omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam.

Episcopi autem consecrantes qui forte non concelebrent, sumunt albam, crucem pectoralem, stolam et, pro opportunitate, pluviale et mitram. Presbyteri electo assistentes, si forte non concelebrent, induunt pluviale super albam vel superpelliceum super vestem talarem.[121]

Vestes sint coloris Missæ quæ celebratur, vel albi, vel festivi.

568. Præter ea quæ ad Missæ stationalis concelebrationem necessaria sunt, parentur:

a) Pontificale Romanum;
b) libelli orationis consecrationis pro Episcopis consecrantibus;
c) gremiale linteum;
d) sacrum chrisma;
e) anulus pro electo;
f) baculus pastoralis et mitra pro electo;
g) calix sufficientis magnitudinis pro Communione concelebrantium et aliorum quibus competit.[122]

569. Benedictio anuli, baculi pastoralis et mitræ, tempore opportuno, ante ipsam ordinationem de more peragitur, ut in Pontificali describitur.[123]

570. Præter cathedram consecratoris principalis, sedes pro Episcopis consecrantibus, electo, presbyteris concelebrantibus, parentur hoc modo:

a) In liturgia verbi consecrator principalis sedet in cathedra, Episcopi consecrantes iuxta cathedram, hinc inde; electus vero inter presbyteros sibi assistentes, loco aptiore in presbyterio;

[119] Pontificale Romanum, De ordinatione Episcopi, n. 4.
[120] *Ibidem*, n. 3.
[121] Cf. *ibidem*, n. 6.
[122] Cf. *ibidem*, n. 8.
[123] Cf. Pontificale Romanum, De benedictione insignium pontificalium.

b) Ordinatio electi fiat de more ad cathedram; si autem propter participationem fidelium opus est, parentur sedes pro consecratore principali et Episcopis consecrantibus ante altare vel alio opportuniore loco; sedes autem pro electo et presbyteris ei assistentibus, sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.[124]

571. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare more consueto.

Electus medius inter presbyteros sibi assistentes sequitur presbyteros concelebrantes et præcedit Episcopos consecrantes.[125]

572. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto, usque ad Evangelium inclusive.

573. Si Episcopus in sua ecclesia cathedrali ordinatur, post salutationem populi unus e diaconis vel ex presbyteris concelebrantibus Litteras apostolicas Collegio consultorum, præsente cancellario Curiæ qui rem in acta referat, ostendit ac deinde ad ambonem legit, quas omnes sedentes auscultant et in fine acclamant, dicentes: *Deo grátias* vel aliam acclamationem aptam.

In diœcesibus vero noviter erectis, clero ac populo in ecclesia cathedrali præsentibus earundem Litterarum communicatio fit, presbytero inter præsentes seniore acta referente.

574. Post lectionem Evangelii, diaconus librum Evangeliorum iterum super altare reverenter deponit, ubi remanet usquedum super caput ordinati positum fuerit.

575. Dicto Evangelio, incipit ordinatio Episcopi. Omnibus stantibus, canitur hymnus: *Veni, creátor Spíritus,* vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines.[126]

576. Deinde consecrator principalis et Episcopi consecrantes accedunt, si opus est, ad sedes pro ordinatione electi paratas, et sedent cum mitra.[127]

577. Electus a presbyteris ipsi assistentibus adducitur ante consecratorem principalem, cui reverentiam facit. Unus autem e presbyteris assistentibus petit a consecratore principali ut ad ordinationem electi procedat. Consecrator autem principalis mandat ut legatur Mandatum apostolicum, quod omnes sedentes auscultant et in fine respondent: *Deo grátias,* vel alio modo, secundum morem regionis, electioni assentiunt.[128]

[124] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Episcopi, n. 9, b.
[125] Cf. *ibidem,* n. 10.
[126] *Ibidem,* n. 13.
[127] *Ibidem,* n. 14.
[128] Cf. *ibidem,* nn. 15-17.

578. Deinde consecrator principalis homiliam habet in qua, initium sumens e textu lectionum Sacræ Scripturæ quæ in Missa lectæ sunt, clerum ac populum necnon electum de munere Episcopi alloquitur: quod facere potest verbis in Pontificali Romano propositis vel propriis verbis, his similibus, utens.[129]

579. Post homiliam electus solus surgit et stat ante consecratorem principalem qui illum interrogat, ut in Pontificali, de proposito fidei servandæ et muneris adimplendi.[130]

580. Deinde Episcopi mitram deponunt, et surgunt, omnesque pariter surgunt. Consecrator principalis, stans, manibus iunctis, versus ad populum dicit invitatorium: *Orémus, dilectíssimi nobis.*

Deinde diaconus dicit: *Flectámus génua.* Et mox consecrator principalis et Episcopi consecrantes ante sedes suas genua flectunt; electus vero procumbit; ceteri autem genua flectunt.

Tempore tamen paschali et dominicis, omittitur admonitio *Flectámus génua;* electus quidem procumbit, ceteri vero stantes remanent.

Tunc cantores incipiunt litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum, ex. gr., Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius qui ordinationem recipit, aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis: nam litaniæ locum tenent orationis universalis.[131]

581. Litaniis expletis, consecrator principalis stans dicit, manibus extensis, orationem: *Propitiáre, Dómine;* qua dicta, diaconus, si ante litanias ad genuflectendum invitaverat, admonet: *Leváte,* et omnes surgunt.[132]

582. Electus surgit, ad consecratorem principalem accedit et ante eum genua flectit.

Consecrator principalis, mitra accepta, imponit manus super caput electi, nihil dicens.

Deinde omnes Episcopi, accedentes successive electo manus imponunt, nihil dicentes, et circa consecratorem principalem manent, usquedum oratio consecrationis finiatur.[133]

583. Deinde consecrator principalis accipit librum Evangeliorum ab uno diacono et imponit apertum super caput electi; duo diaconi, a dextris et a sinistris electi stantes, tenent librum Evangeliorum super caput ipsius usquedum oratio consecrationis finiatur.[134]

[129] Cf. *ibidem,* n. 18.
[130] Cf. *ibidem,* n. 19.
[131] Cf. *ibidem,* nn. 20-21.
[132] Cf. *ibidem,* n. 22.
[133] Cf. *ibidem,* nn. 23-24.
[134] Cf. *ibidem,* n. 25.

584. Tunc consecrator principalis, dimissa mitra, habens apud se Episcopos consecrantes, pariter sine mitra, canit vel dicit, manibus extensis, orationem consecrationis: *Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi.*

Pars eiusdem orationis, inde a verbis *Et nunc effúnde* usque ad verba *in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui* profertur ab omnibus consecrantibus, manibus iunctis.

Reliqua pars orationis consecrationis dicitur a solo consecrante principali. In fine precis omnes dicunt: *Amen.*[135]

585. Finita oratione consecrationis, omnes sedent. Consecrator principalis ceterique Episcopi mitram sumunt. Diaconi resumunt librum Evangeliorum, quem tenebant super caput ordinati, et unus diaconorum librum tenet usque dum tradatur ordinato.[136]

586. Consecrator principalis sumit gremiale linteum et accipit vas cum sacro chrismate ab uno e diaconis, et inungit caput ordinati coram se genuflexi, dicens: *Deus, qui summi Christi sacerdótii partícipem te effécit.* Post unctionem lavat manus.[137]

587. Postea, accipiens a diacono librum Evangeliorum, eum tradit ordinato, dicens: *Accipe Evangélium;* quo facto, diaconus resumit librum et reponit in loco suo.[138]

588. Tandem consecrator principalis tradit ordinato insignia pontificalia. Primo anulum in digitum anularem dexteræ manus ordinati immittit, dicens: *Accipe ánulum, fídei signáculum.* Deinde ei imponit mitram, nihil dicens. Postea ei tradit baculum pastoralem, dicens: *Accipe báculum, pastorális múneris signum.*[139]

Si ordinatus pallio fruitur, consecrator principalis, antequam illi imponat mitram, ei tradit pallium, ritu infra n. 1154 descripto.

589. Tunc surgunt omnes. Si ordinatio facta est in ecclesia propria ordinati, consecrator principalis eum invitat ut sedeat in cathedra, ad quam eum ducit; si ordinatio facta est ante altare, ad aliam sedem.

Extra autem ecclesiam propriam, Episcopus ordinatus invitatur a consecratore principali ut sedeat primus inter Episcopos concelebrantes.[140]

[135] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Episcopi, n. 26.
[136] Cf. *ibidem*, n. 27.
[137] Cf. *ibidem*, n. 28.
[138] Cf. *ibidem*, n. 29.
[139] Cf. *ibidem*, nn. 30-32.
[140] Cf. *ibidem*, n. 33.

590. Demum ordinatus, deposito baculo, surgit et accipit a consecratore principali et ab omnibus Episcopis osculum pacis.

Post traditionem baculi usque ad finem ordinationis, cani potest Psalmus 95 vel alius cantus aptus.[141]

Cantus prosequitur usque dum omnes osculum pacis sibi dederunt.

591. Si ordinatio facta est in ecclesia propria Episcopi modo ordinati, consecrator principalis eum invitare potest ut deinceps præsideat concelebrationi pro liturgia eucharistica. Si autem ordinatio facta est in alia ecclesia, consecrator principalis præsidet concelebrationi; hoc in casu, Episcopus modo ordinatus primum locum tenet inter ceteros concelebrantes.[142]

592. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio autem fidelium omittitur.

593. In liturgia eucharistica, omnia fiunt secundum ordinem concelebrationis Missæ stationalis.

In Prece eucharistica fit commemoratio ordinati ab uno ex Episcopis concelebrantibus, formula adhibita quæ in Missali proponitur.[143]

Parentes et propinqui ordinati Communionem sub utraque specie recipere possunt.

594. Expleta oratione post Communionem, canitur hymnus *Te Deum* vel alius hymnus huic respondens, secundum locorum consuetudines. Interim ordinatus accipit mitram et baculum, ac ducitur a duobus e consecrantibus per ecclesiam, et omnibus benedicit.[144]

595. Finito hymno, ordinatus, stans ad altare vel, si est in sua ecclesia, ad cathedram, potest populum breviter alloqui.[145]

596. Postea Episcopus, qui liturgiæ eucharisticæ præfuit, benedictionem impertitur. Stans nempe cum mitra versus ad populum, dicit: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super populum extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Benedícat vos,* signum crucis faciens super populum.

Textus invocationum mutatur prout qui præsidet est ordinatus vel consecrator principalis.

597. Data benedictione et populo a diacono dimisso, fit processio ad secretarium more consueto.[146]

[141] Cf. *ibidem,* n. 35.
[142] Cf. *ibidem,* n. 5.
[143] Cf. *ibidem,* n. 37.
[144] Cf. *ibidem,* n. 38.
[145] Cf. *ibidem,* n. 38.
[146] Cf. *ibidem,* n. 40.

CAPUT III

DE SACRAMENTO MATRIMONII

PRÆNOTANDA

598. Memor Christi Domini, qui nuptiis in Cana Galilææ interfuit, cordi habeat Episcopus suorum fidelium Matrimonium, præsertim pauperiorum, aliquoties benedicere.

Quo autem clarius appareat hanc Episcopi participationem non esse personarum acceptionem [147] vel meræ sollemnitatis signum, præstat Episcopum matrimoniis assistere de more non in privatis sacellis vel domibus, sed in ecclesia cathedrali vel parœciis, ita ut sacramenti celebratio nota ecclesiali revera distinguatur, et communitas loci participare possit.

599. Ad celebrationem Matrimonii ea parentur quæ pro matrimonio a presbytero benedicendo requiruntur, additis mitra et baculo.

600. Convenit unum saltem presbyterum, qui de more sit parochus, unumque saltem diaconum cum aliquibus ministris Episcopo assistere.

I. DE CELEBRATIONE MATRIMONII INTRA MISSAM

601. Si Episcopus ipse Missam celebrat, omnes sacras vestes pro Missa requisitas assumit, additis mitra et baculo. Presbyter vero, si concelebrat, et ipse sacras vestes pro Missa induit.

Si vero Episcopus Missæ præsidet quin eam celebret, supra albam assumit crucem pectoralem, stolam et pluviale albi coloris; itemque mitram et baculum adhibet.

Diaconus vestes sui ordinis induit. Ceteri ministri albam vel aliam vestem pro eis legitime probatam induunt.

Præter ea quæ ad Missæ celebrationem requiruntur, parentur:

a) Rituale Romanum;
b) vas aquæ benedictæ et aspersorium;
c) anuli pro sponsis;
d) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

602. Statuto tempore, parochus aliusve presbyter, indutus superpelliceo super vestem talarem, vel alba et stola, atque casula si ipse Missam est celebraturus, pro opportunitate, ad ianuam ecclesiæ, co-

[147] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 32.

mitantibus ministris, vel ad altare recipit sponsum et sponsam, eos salutat et ducit ad loca ipsis præparata.[148]

Postea Episcopus ad altare accedit, ipsumque salutat, et a parocho vel alio presbytero ei præsentantur nupturientes. Interim fit cantus ad introitum.

603. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[149] dici potest Missa pro sponsis, cum lectionibus propriis, colore albo vel festivo adhibito.

Occurrentibus vero diebus, qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, dicitur Missa de die, retentis in ea benedictione super sponsam et sponsum atque, pro opportunitate, formula benedictionis finalis propria.

Si tamen Missa in qua Matrimonium celebratur a communitate parœciali participatur, dicitur Missa de die, etiam dominicis temporis Nativitatis et « per annum ».

Quando Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.[150]

604. Si Missa celebratur temporibus Adventus et Quadragesimæ aliisve diebus indolem pænitentialem præseferentibus, sponsi moneantur ut rationem habeant peculiaris naturæ horum temporum liturgicorum.[151]

605. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto.

606. Dicto Evangelio, Episcopus sedens cum mitra et baculo, nisi ipsi aliter videatur, homiliam habet, in qua e textu sacro exponit mysterium Matrimonii christiani, dignitatem amoris coniugalis, gratiam sacramenti et munera coniugum.[152]

607. Homilia expleta, Episcopus cum mitra et baculo coram sponsis, eos interrogat de libertate, de fidelitate et de suscipienda et educanda prole, et consensum accipit.[153]

608. Postea deponit baculum et, si formula deprecativa utitur, etiam mitram, et benedicit anulos eosque, pro opportunitate, aspergit et tradit sponsis, qui digitis suis inserunt.[154]

[148] Cf. Rituale Romanum, Ordo celebrandi Matrimonium, n. 19.
[149] Cf. infra, Appendix III.
[150] Cf. infra, Appendix II; Missale Romanum, In celebratione Matrimonii; Ordo Lectionum Missæ, nn. 801-805.
[151] Cf. Rituale Romanum, Ordo celebrandi Matrimonium, n. 11.
[152] Cf. *ibidem*, n. 22.
[153] Cf. *ibidem*, n. 24.
[154] Cf. *ibidem*, nn. 27-28.

609. Symbolum dicitur secundum rubricas, et fit oratio universalis more consueto.

610. In Prece eucharistica fit commemoratio sponsorum, formula adhibita quæ in Missali proponitur.

611. Dicto *Pater noster* et omisso *Líbera nos*, Episcopus si ipse Eucharistiam celebrat, secus presbyter Missam celebrans, stans ad sponsos conversus, dicit, manibus iunctis, monitionem: *Dóminum, fratres caríssimi*, post quam omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde, manibus extensis, profert benedictionem super sponsam et sponsum: *Deus, qui potestáte*.[155]

612. Sponsi eorumque parentes, testes et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt.[156]

613 In fine Missæ, loco benedictionis consuetæ, adhibetur formula pro hac Missa in Rituali proposita.[157]

Episcopus accipit mitram et, extendens manus, populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum*. Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super populum extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Et vos omnes*, atque signum crucis facit super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra nn. 1120-1121 propositis.

II. De Matrimonio sine Missa celebrato

614. Episcopus induitur sicut quando Missæ præsidet quin eam celebret ut supra n. 176 dictum est. Presbyter superpelliceum super vestem talarem vel albam et stolam assumit; diaconus vestes sui ordinis induit.

615. Ingressus sponsorum et Episcopi in ecclesiam fit ut supra n. 602 indicatur, dum canitur cantus ad introitum.

616. Cantu expleto, Episcopus præsentes salutat et dicit collectam e Missa Pro sponsis. Deinde sequitur liturgia verbi, ut in Missa.

617. Interrogatio de libertate, acceptatio consensus, traditio anulorum fiunt ut supra nn. 607-608 dictum est.

618. Deinde fit oratio universalis, post quam, omissa oratione conclusiva eiusdem orationis, Episcopus, manibus extensis, benedictio-

[155] Cf. Rituale Romanum, Ordo celebrandi Matrimonium, n. 33.
[156] Cf. *ibidem*, n. 36.
[157] Cf. *ibidem*, nn. 125-127.

nem super sponsam et sponsum profert, adhibito textu qui pro eadem benedictione intra Missam impertienda in Rituali proponitur.[158]

Deinde sequitur recitatio orationis dominicæ.

619. Si Communio intra ritum distribuenda est, diaconus accipit pyxidem cum Corpore Domini, illam super altare deponit atque una cum Episcopo genuflectit. Deinde Episcopus introducit orationem dominicam, quam omnes dicunt.

His peractis, genuflectit, accipit hostiam, eamque parum elevatam super pyxidem tenens, ad communicandos versus dicit: *Ecce Agnus Dei.*

Communio distribuitur sicut in Missa.

Communione distributa, pro opportunitate sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari vel psalmus aut canticum laudis proferri potest. Deinde dicitur oratio: *Mensæ tuæ partícipes,* ut in Rituali vel alia apta.[159]

620. Tandem Episcopus benedictionem finalem impertitur modo supra n. 613 descripto. Diaconus vero præsentes dimittit, dicens: *Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias,* et recedunt.

[158] Cf. *ibidem,* nn. 33; 120-121.

[159] Cf. *ibidem,* n. 123; De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, nn. 50, 210 et ss.

CAPUT IV

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ

PRÆNOTANDA

621. Reconciliationis mysterium, quod Christus per mortem et resurrectionem suam implevit, Ecclesia ministrat. Christi passionibus per patientiam suam communicans, misericordiæ et caritatis opera exercens sese in dies magis ac magis secundum Evangelium Christi convertens, fit signum in mundo conversionis ad Deum. Quod Ecclesia vivendo exprimit et celebrat in liturgia sua, dum fideles se peccatores profitentur atque veniam Dei et fratrum implorant, uti fit in celebrationibus pænitentialibus, in verbi Dei proclamatione, in oratione, in elementis pænitentialibus celebrationis eucharisticæ.

In sacramento vero Pænitentiæ fideles « veniam offensionis Deo illatæ ab eius misericordia obtinent et simul reconciliantur cum Ecclesia, quam peccando vulneraverunt et quæ eorum conversioni caritate, exemplo, precibus adlaborat ».[160]

Ministerium sacramenti Pænitentiæ Ecclesia exercet per Episcopos atque presbyteros, qui fideles per prædicationem verbi Dei ad conversionem vocant, eisque remissionem peccatorum in nomine Christi et in virtute Spiritus Sancti testantur et impertiunt.

In hoc ministerio exsequendo, presbyteri in communione cum Episcopo agunt et de eius potestate ac munere participant, qui est moderator disciplinæ pænitentialis.[161]

Valde proinde convenit Episcopum ministerio Pænitentiæ, saltem forma sollemniore celebratæ, præsertim tempore Quadragesimæ, vel occasione visitationis pastoralis, aliisque peculiaribus adiunctis in vita populi Dei occurrentibus, partem habere.

Huiusmodi ergo celebrationum præbetur hic descriptio, sive hæ absolutione sacramentali claudantur, sive forma celebrationis pænitentialis peragantur.

I. ORDO RECONCILIATIONIS PLURIUM PÆNITENTIUM CUM CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE SINGULARI

622. Episcopus induit albam, crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris violacei vel pænitentialis, et sumit mitram simplicem et baculum.

[160] Conc. Vat. II Cost. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.

[161] Rituale Romanum, Ordo Pænitentiæ, n. 9 a; cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 26.

Pro numero pænitentium, Episcopo socientur alii presbyteri, qui superpelliceum super vestem talarem vel albam et stolam assumunt.

Episcopo assistat diaconus, vestibus sui ordinis indutus, aliique ministri alba vel alia veste pro eis legitime probata induti.

623. Populo congregato, dum fit cantus aptus, Episcopus cum presbyteris, comitantibus ministris, ingreditur ecclesiam.[162]

624. Cum ad altare pervenerit idque salutaverit, Episcopus ad cathedram, presbyteri ad sedes sibi paratas pergunt. Cantu expleto, Episcopus, stans sine mitra, populum salutat; deinde vel ipse, vel aliquis e presbyteris, vel diaconus, brevi monitione adstantes edocet de momento et ratione celebrationis necnon de ordine in ea servando.[163]

625. Postea Episcopus ad orandum invitat et, post brevem pausam silentii, orationem complet collecta.

626. Tunc fit liturgia verbi, in qua plures lectiones, vel una tantum, ex iis quæ in peculiari Lectionario recensentur, pro rerum adiunctis, recitari possunt. Si una tantum lectio fit, præstat ut ex Evangelio sumatur. Si autem plures lectiones recitantur, psalmus vel alius cantus aptus vel etiam tempus silentii inter illas ponatur, eadem ratione ac in Missa.[164]

627. Sequitur homilia, qua Episcopus cum mitra et baculo, nisi ipsi aliter videatur, e textu lectionum initium sumens, ducat pænitentes ad discussionem conscientiæ et ad renovationem vitæ.

Post homiliam opportune servatur tempus aliquod silentii ad examen conscientiæ peragendum et ad veram contritionem excitandam. Aliquis e presbyteris, vel diaconus, potest fideles adiuvare brevibus sententiis vel quadam prece litanica, attenta eorum condicione, atque ætate.[165]

628. His peractis incipiunt ritus pænitentiales. Episcopus dimittit baculum et mitram et surgit. Omnes pariter surgunt. Extra tempus paschale vel diem dominicam invitante diacono, verbis *Flectámus génua* vel aliis his similibus, omnes genuflectunt vel se inclinant et simul formulam confessionis generalis dicunt ex. gr., *Confíteor*. Deinde omnes, invitante diacono, pro opportunitate, surgunt, et stantes orationem litanicam vel cantum aptum proferunt. In fine additur oratio dominica, quæ numquam omittitur. Episcopus vero deprecationem oratione concludit.[166]

[162] Cf. Rituale Romanum, Ordo Pænitentiæ, n. 48.
[163] Cf. *ibidem*, n. 49.
[164] Cf. *ibidem*, n. 51.
[165] Cf. *ibidem*, nn 52-53.
[166] Cf. *ibidem*, n. 54.

629. Tunc Episcopus et presbyteri sedes confessionales adeunt; fideles vero ad eos se conferunt iisque peccata sua confitentur et ab eis singillatim, congrua satisfactione imposita et accepta, absolvuntur.

Post confessionem necnon, pro opportunitate, convenientem exhortationem, omissis ceteris quæ in reconciliatione unius pænitentis fieri solent, manibus super caput pænitentis extensis vel saltem manu dextera, absolutionem impertiuntur formulam sacramentalem proferendo.[167]

630. Confessionibus singulorum expletis, Episcopus redit ad cathedram et stat sine mitra; presbyteri vero circa ipsum disponuntur. Omnes surgunt, et Episcopus ad gratiarum actionem invitat et ad bona opera hortatur, quibus gratia pænitentiæ in vita singulorum et totius communitatis manifestetur. Postea convenienter fit cantus aptus laudis et gratiarum actionis.[168]

631. Post huiusmodi cantum, Episcopus, stans sine mitra, versus ad populum et manibus extensis, dicit orationem: *Deus omnípotens et miséricors* vel aliam convenientem.[169]

632. Tandem Episcopus accipit mitram et populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super populum extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Benedícat vos,* signum crucis faciens super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra, nn. 1120-1121, propositis.

Deinde diaconus cœtum dimittit, dicens: *Dóminus dimísit peccáta vestra. Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias,* et recedunt.

II. Ordo reconciliationis plurium pænitentium cum confessione et absolutione generali

633. Ad reconciliandos plures pænitentes cum confessione et absolutione generali in casibus iure prævisis, omnia fiunt ut supra de reconciliatione plurium pænitentium cum confessione et absolutione singulari dictum est, iis tantum mutatis quæ sequuntur.[170]

634. Homilia expleta, vel in ipsa homilia, Episcopus moneat fideles qui absolutionem generalem recipere volunt, ut apte se disponant seu ut unumquemque pæniteat admissorum suorum isque a peccatis

[167] Cf. Rituale Romanum, Ordo Pænitentiæ, n. 19 et n. 55.
[168] Cf. *ibidem,* n. 56.
[169] Cf. *ibidem,* n. 57.
[170] *Ibidem,* n. 60.

abstinere proponat, scandala et damna forte illata reparare statuat et simul proponat singillatim confiteri debito tempore peccata gravia, quæ in præsens ita confiteri nequeat; satisfactio quædam insuper proponatur omnibus facienda, cui singuli aliquid addere poterunt, si voluerint.[171]

635. Deinde diaconus pænitentes, qui absolutionem recipere volunt, invitat ut aliquo signo externo, se illam petere profiteantur.[172]

636. Tunc pænitentes, genuflexi vel profunde inclinati faciunt confessionem generalem ex. gr., *Confíteor.*

637. Postea fit prex litanica, vel cantus aptus, et in fine additur oratio dominica, ut supra n. 628 dictum est.

638. Tandem Episcopus, accepta mitra, versus ad pænitentes, profert formulam sacramentalem absolutionis: *Deus Pater.*[173]

639. Deinde Episcopus omnes ad gratiarum actionem invitat atque ad Dei misericordiam confitendam, et, post cantum congruum, statim populo benedicit, atque diaconus populum dimittit, ut supra n. 632.[174]

III. De celebrationibus pænitentialibus sine confessione et absolutione

640. Celebrationes pænitentiales sunt populi christiani conventus ad verbum Dei audiendum prout est invitatio ad conversionem et ad vitæ renovationem, necnon nuntium de nostra liberatione a peccato per mortem et resurrectionem Christi. Magnum insuper momentum habent in disponendis fidelibus ad sacramenti Pænitentiæ celebrationem.[175]

641. Episcopus ipsis præsidere potest vestibus, ut supra n. 622, indutus, vel solummodo cum rocheto, mozeta, cruce pectorali et stola.

642. Celebratio peragitur ritu supra descripto pro Ordine reconciliationis plurium pænitentium cum confessione et absolutione sin-

[171] Cf. *ibidem*, n. 60; cf. C.I.C. cann. 962; 963.
[172] Cf. Rituale Romanum, Ordo Pænitentiæ, n. 61.
[173] Cf. *ibidem*, n. 62.
[174] Cf. *ibidem*, n. 63.
[175] Cf. *ibidem*, n. 36.

gulari, usque ad orationem dominicam post confessionem generalem et precem litanicam.

643. Tunc, omissis confessionibus singulorum, Episcopus deprecationem concludit oratione convenienti, quæ esse potest oratio *Deus omnípotens et misericors*. Deinde populum, ut supra n. 632, benedicit, et diaconus eum dimittit.[176]

[176] Cf. *ibidem*, Appendix II, Specimen celebrationum pænitentialium, n. 4.

CAPUT V

DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM

PRÆNOTANDA

644. Apostolos a Christo missos, refert Marcus evangelista, infirmos oleo unxisse.[177] Nec mirum, nam ex traditione biblica et christiana, « unctio olei et misericordiam Dei et morbi remedium et cordis illuminationem significat ».[178]

Episcopi vero, Apostolorum successores, etsi « occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt », ut observat S. Innocentius papa I,[179] hoc ministerio fungi pergunt per suos presbyteros, qui in traditione Ecclesiæ latinæ ad ungendos infirmos oleo utuntur quod, exceptis casibus necessitatis, ab Episcopo benedicitur.

645. Quando tamen Unctio celebratur in magnis adunationibus fidelium, cuiusmodi sunt: peregrinationes, vel alii cœtus infirmorum diœcesis, civitatis, aut piæ consociationis, decet ut Episcopus ritui pro posse præsideat. Huius ritus hic præbetur descriptio.[180]

646. Ad veram efficacitatem pastoralem huiusmodi celebrationis obtinendam, oportet ut apta præparatio antea fiat tum infirmorum qui sacram Unctionem recepturi sunt, tum aliorum infirmorum forte præsentium, tum fidelium bene valentium.

Cura etiam adhibeatur plenæ adstantium participationi fovendæ, cantus præsertim opportunos prævidendo, quibus fidelium unanimitas excitetur, oratio communis foveatur et paschalis lætitia manifestetur, qua ritum resonare convenit.[181]

647. Si infirmi sacram Unctionem recepturi permulti sunt, Episcopus potest aliquos presbyteros designare, qui partem in celebratione sacramenti cum illo habeant.

Quod si Unctio intra Missam confertur, convenit hos presbyteros cum Episcopo concelebrare.

Convenit præterea unum saltem diaconum atque alios ministros Episcopo assistere.

[177] Cf. Mc 6, 13.
[178] Cf. J. A. Cramer, *Catenæ Græcorum Patrum in Novum Testamentum*, t. 1, Oxford 1838-1844, p. 324.
[179] Cf. *Ep.* 25, 8, 11: PL 20, 560.
[180] Cf. Rituale Romanum, Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, n. 83.
[181] Cf. *ibidem*, n. 85.

I. De sacræ Unctionis celebratione intra Missam

648. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[182] dici potest Missa Pro infirmis, cum lectionibus propriis ritus Unctionis,[183] colore albo adhibito.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro ritu Unctionis proponuntur .

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[184] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Formula benedictionis finalis propria ritus Unctionis adhibetur.

649. Hæc parentur:

a) Rituale Romanum;
b) vasa olei infirmorum;
c) ea quæ requiruntur ad manuum lotionem;
d) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

Episcopus et presbyteri omnibus sacris vestibus induuntur pro Missæ celebratione requisitis. Diaconus vero vestibus sui ordinis induitur, ceteri ministri alba vel veste pro eis probata induuntur.

Si vero presbyteri cum Episcopo non concelebrant, sumunt superpelliceum super vestem talarem vel albam et stolam.

650. Infirmi recipiuntur ab iis qui ad hoc designati sunt, et suis locis disponuntur, ante ingressum Episcopi.[185]

651. Ritus initiales et liturgia verbi peraguntur more consueto. Post Evangelium, Episcopus sedens in cathedra cum baculo et mitra, nisi ipsi aliter videatur, homiliam habet, in qua, initium sumens e textu lectionum quæ lectæ sunt, ostendit significationem infirmitatis humanæ in historia salutis et gratiam sacramenti Unctionis.

652. Celebratio Unctionis infirmorum, quæ incipit post homiliam, peragi potest duobus modis, qui schematice indicari possunt uti sequitur:

A

— Litania
— Impositio manuum
— Benedictio olei
— Unctio
— Oratio conclusiva

B

— Impositio manuum
— Benedictio olei
— Unctio
— Litania cum oratione conclusiva.

[182] Cf. infra, Appendix III.
[183] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 790-795.
[184] Cf. infra, Appendix II.
[185] Cf. Rituale Romanum, Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, n. 87.

Modi schematice expositi, infra nn. 653-658, explicitius describuntur.

653. Post homiliam Episcopus, dimissa mitra, surgit et, si nunc dicenda est, introducit litaniam, quæ in Rituali indicatur.[186] Tunc ipse et omnes presbyteri qui sacram Unctionem sunt ministraturi, singuli super aliquos infirmos manus imponunt, nihil dicentes.

654. Potest in huiusmodi celebratione Episcopus oleum pro Unctione benedicere: quod facit immediate post impositionem manuum oratione *Deus, totíus consolatiónis Pater.*

Si vero oleum iam benedictum adhibetur, Episcopus dicit orationem gratiarum actionis super ipsum oleum: *Benedíctus Deus.*[187]

655. Postea Episcopus sedet et accipit mitram. Diaconus ei affert vas vel vascula cum oleo benedicto, et Episcopus illa tradit presbyteris, qui ei sociabuntur in sacra Unctione peragenda.

Tunc ipse Episcopus et presbyteri accedunt ad singulos infirmos et unumquemque liniunt in fronte et in manibus, dicentes semel pro singulis formulam: *Per istam sanctam Unctiónem.*[188]

656. Dum infirmorum Unctio peragitur, formula ab adstantibus saltem semel audita, fieri possunt cantus.

657. Peractis unctionibus, Episcopus redit ad cathedram, presbyteri vero ad sedes suas, et manus lavant.

658. Postea Episcopus, stans sine mitra, dicit, manibus extensis, orationem conclusivam ritus Unctionis, textum aptiorem eligens ex iis qui in Rituali [189] proponuntur. (Si tamen litania non præcesserit, Episcopus eam immediate post lotionem manuum introducit et concludit eadem oratione).

659. Deinde Missa prosequitur more consueto, cum donorum præparatione. Infirmi atque adstantes sub utraque specie communicare possunt.

660. In fine Missæ, loco benedictionis consuetæ, Episcopus adhibere potest benedictionem sollemnem quæ in Rituali indicatur.[190] Quo in casu Episcopus accipit mitram et populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super populum extensis,

[186] Cf. *ibidem,* n. 73.
[187] Cf. *ibidem,* nn. 75-75 bis.
[188] Cf. *ibidem,* n. 76.
[189] Cf. *ibidem,* nn. 77, 243-246.
[190] Cf. *ibidem,* nn. 79, 237.

invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Benedícat vos*, signum crucis faciens super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra, nn. 1120-1121, propositis.

II. De sacræ Unctionis celebratione sine Missa

661. Episcopus induitur alba, cruce pectorali, stola et pluviali albi coloris, et accipit mitram et baculum. Presbyteri qui ei forte sociantur induunt superpelliceum super vestem talarem vel albam et stolam. Diaconus suis vestibus induitur.

662. Infirmi recipiuntur ab iis qui ad hoc deputantur, et suis locis disponuntur, ante ingressum Episcopi.[191]

663. Ingressu facto in ecclesiam, dum cantus aptus peragitur, Episcopus altare salutat ac pergit ad cathedram, ibique, cantu expleto, infirmos et populum humaniter salutat.

664. Fit deinde liturgia verbi, eadem ratione iisdemque textibus adhibitis, quæ supra nn. 648 et 651 pro Missæ celebratione indicantur.

665. Ritus Unctionis peragitur ut supra, nn. 652-657, indicatur. Attamen, post Unctionem, ante orationem conclusivam, Episcopus introducit orationem dominicam, quæ ab omnibus recitatur.

666. Benedictio finalis Episcopi datur modo supra, n. 660, descripto; eaque absoluta, diaconus populum dimittit, dicens: *Ite in pace*, cui omnes respondent: *Deo grátias*. Et celebratio cantu apto laudabiliter perficitur.

[191] Cf. Rituale Romanum, Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, nn. 86-91.

PARS VI

DE SACRAMENTALIBUS

CAPUT I

DE BENEDICTIONE ABBATIS

PRÆNOTANDA

667. Abbas, Christi vices in monasterio agens, pater, magister, atque exemplar vitæ christianæ et monasticæ se præbeat. Ideoque nihil extra præceptum Domini debet aut docere aut constituere vel iubere. Omnia vero bona et sancta factis magis quam verbis ostendat, prodesse magis quam præesse semper intentus. Cum omni moderatione et firmitate communitatem ducat in Christi sequelam, ita ut monachi eius monasterii sese exhibeant, in oratione necnon in fraterno servitio, evangelica vivendi forma.[1]

668. Benedictio Abbatis de more celebratur ab Episcopo loci in quo monasterium exstat. Tali modo Episcopus culmina vitæ monasticæ participat. Sicut monasteria exemplo, opere, oratione fulciunt vitam alicuius Ecclesiæ particularis, ita Episcopus agnoscat in eis portionem eximiam sui muneris, etsi in regimen internum monasterii ingredi non debet.[2]

669. Iusta tamen de causa et Episcopo loci consentiente, electus ab alio Episcopo vel ab alio Abbate benedictionem recipere potest.[3]

670. Benedictio abbatialis fit tantum pro Abbatibus qui, post electionem canonice factam, regimen alicuius communitatis exercent.

671. Valde convenit benedictionem Abbatis fieri in ecclesia monasterii cui ipse præficitur.

672. Benedictio Abbatis fiat die dominico vel festivo, nisi rationes pastorales aliud suadeant.[4]

673. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[5] dici potest Missa In benedictione Abbatis, cum lectionibus propriis,[6] colore albo vel festivo adhibito.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

[1] Cf. Regula S. Benedicti, capp. 2 et 64.
[2] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatis, n. 2.
[3] Cf. *ibidem*, n. 2.
[4] Cf. *ibidem*, n. 1.
[5] Cf. infra, Appendix III.
[6] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 806-810.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[7] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

674. Electo assistant duo monachi eius monasterii, qui, si sunt presbyteri et Missam concelebrant, induuntur vestibus sacerdotalibus, secus veste chorali vel superpelliceo super vestem.[8]

675. Convenit ut cum Episcopo et electo Missam concelebrent Abbates forte præsentes aliique sacerdotes.[9]

676. Episcopus et concelebrantes sacras vestes induunt quæ ad celebrationem Missæ requiruntur, Episcopus autem etiam dalmaticam. Item electus induit vestimenta sacerdotalia necnon sub casula crucem pectoralem et dalmaticam.

Diaconus vestes sui ordinis induit. Ceteri ministri albam vel vestem pro eis probatam induunt.

677. Parentur, præter ea quæ ad Missæ concelebrationem necessaria sunt:

a) Pontificale Romanum;

b) Regula;

c) baculus pastoralis pro electo;

d) anulus et mitra pro electo, si ipsi sunt tradenda; [10]

e) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

678. Benedictio anuli, baculi pastoralis et mitræ, tempore opportuno, ante ipsam benedictionem electi, de more peraguntur.[11]

679. Benedictio electi de more fit ad cathedram. Si autem propter participationem fidelium opus est, paretur sedes pro Episcopo ante altare vel loco aptiore. Sedes pro electo et eius assistentibus parentur in presbyterio, ita ut actio liturgica ab omnibus bene conspici possit.[12]

Descriptio ritus

680. Processio per ecclesiam ad altare modo consueto ordinatur. Diaconum librum Evangeliorum deferentem sequuntur presbyteri concelebrantes, deinde electus medius inter suos assistentes, postea Episcopus utens mitra et baculo, et paulisper retro duo diaconi ei assistentes.

[7] Cf. infra, Appendix II.
[8] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatis, n. 3.
[9] Cf. *ibidem*, n. 4.
[10] Cf. *ibidem*, n. 8.
[11] *Ibidem*, n. 7; cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi: De benedictione insignium pontificalium.
[12] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatis, n. 10.

681. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

682. Dicto Evangelio, incipit benedictio Abbatis. Si casus fert, Episcopus cum mitra venit ad sedem paratam, ut supra dictum est, secus in cathedra sedet. Omnes pariter sedent. Electus a monachis sibi assistentibus adducitur ad Episcopum et ei reverentiam facit. Unus ex assistentibus electum Episcopo præsentat, dicens: *Adest, Reverendíssime Pater.* Episcopus illum interrogat, dicens: *Scitis illum rite eléctum fuisse.* Monachus respondet: *Scimus et testificámur.* Episcopus subdit: *Deo grátias.*[13]

683. Deinde Episcopus, initium sumens e textu lectionum quæ in Missa lectæ sunt, populum, monachos et electum breviter alloquitur de munere Abbatis.[14]

684. Post homiliam electus surgit et stat ante Episcopum, qui illum interrogat, incipiens: *Antíqua sanctórum patrum.* Electus ad singulas quæstiones respondet: *Volo.*

In fine Episcopus concludit: *Hæc ómnia et univérsa bona tríbuat tibi Dóminus,* et omnes dicunt: *Amen.*[15]

685. Deinde Episcopus deponit mitram et surgit. Omnesque pariter surgunt. Episcopus, manibus iunctis, versus ad populum, dicit invitatorium: *Orémus, fratres caríssimi.*

Postea diaconus dicit: *Flectámus génua,* et mox omnes suis locis genua flectunt; electus vero procumbit. Tempore autem paschali et dominicis, non dicitur a diacono: *Flectámus génua;* electus quidem procumbit, reliqui vero stantes remanent. Tunc cantores incipiunt litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum, ex. gr., Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius qui benedictionem recipit, Sanctorum eiusdem Ordinis, aut aliquæ invocationes singulis circumstantiis aptiores: nam litaniæ locum tenent orationis universalis. Litaniis expletis, diaconus, si antea ad genuflectendum invitaverat, dicit: *Leváte,* et omnes surgunt.[16]

686. Electus ad Episcopum accedit et ante eum genua flectit. Episcopus, stans sine mitra, et manibus extensis, dicit orationem benedictionis, seligens unam ex iis quæ in Pontificali Romano præbentur.[17]

[13] Cf. *ibidem,* nn. 16-18.
[14] Cf. *ibidem,* n. 19.
[15] Cf. *ibidem,* n. 20.
[16] Cf. *ibidem,* nn 21-22.
[17] Cf. *ibidem,* n. 23.

687. Finita oratione benedictionis, Episcopus sedet cum mitra. Omnes pariter sedent. Abbas modo benedictus ad Episcopum accedit, qui Regulam ei in manus tradit, dicens: *Accipe Régulam.* Deinde, si casus fert, Episcopus anulum in digitum anularem dexteræ manus Abbatis modo benedicti, immittit dicens: *Accipe ánulum.* Postea, item si casus fert, imponit ei mitram nihil dicens. Tandem tradit ei baculum pastoralem, dicens: *Accipe báculum.*[18]

688. Demum Abbas modo benedictus, deposito baculo, accipit ab Episcopo et ab omnibus Abbatibus osculum pacis.

Si rerum adiuncta id permittunt, similiter faciunt presbyteri et monachi præsentes.

689. Missa prosequitur more consueto. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

690. In liturgia eucharistica, Abbas modo benedictus primum locum tenet inter presbyteros concelebrantes. Si tamen Prælatus qui eum benedixit non est Episcopus et benedictio facta est in ecclesia ipsius electi, tunc Abbas modo benedictus præsidere potest liturgiæ eucharisticæ.

691. Parentes et propinqui Abbatis modo benedicti atque sodales monasterii Communionem sub utraque specie recipere possunt.

692. In fine Missæ ab eo qui liturgiæ eucharisticæ præfuit dicitur: *Dóminus vobíscum* et datur benedictio; a diacono vero fit dimissio more consueto.

693. Post dimissionem, dum, pro opportunitate, canitur hymnus *Te Deum* vel alius cantus aptus, omnes processionaliter per ecclesiam revertuntur in secretarium et recedunt in pace.

Si vero agitur de Abbate habente iurisdictionem in aliquod territorium, expleta oratione post Communionem, canitur hymnus *Te Deum,* vel alius cantus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Abbas nuper benedictus ducitur ab assistentibus per ecclesiam, et omnibus benedicit.

Finito hymno, Abbas nuper benedictus, stans ad altare vel ad cathedram cum mitra et baculo, potest populum breviter alloqui. Reliqua fiunt de more.[19]

[18] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatis, nn. 24-27.
[19] Cf. *ibidem,* n. 32.

CAPUT II

DE BENEDICTIONE ABBATISSÆ

PRÆNOTANDA

694. Abbatissa, a sua communitate electa, exemplar christianæ necnon monasticæ vitæ monialibus ipsis se præbeat. Ideoque nihil extra præcepta Domini ipsa debet aut docere aut constituere vel iubere. Omnia vero bona et sancta factis magis quam verbis ostendat, prodesse magis quam præesse semper intenta. Cum omni moderatione et firmitate communitatem ducat in Christi sequelam, ita ut moniales eius monasterii sese exhibeant, in oratione necnon in fraterno servitio, evangelica vivendi forma.[20]

695. Benedictio Abbatissæ de more celebratur ab Episcopo loci in quo exstat monasterium. Sed iusta de causa et Episcopo loci consentiente, ab alio Episcopo vel ab aliquo Abbate electa benedictionem recipere potest.[21]

696. Benedictio fiat die dominico vel festivo, nisi rationes pastorales aliud suadeant.[22]

697. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[23] dici potest Missa In benedictione Abbatissæ, cum lectionibus propriis,[24] colore albo vel festivo adhibito.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[25] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

698. Electa, cui assistunt duæ monachæ eius monasterii, locum obtinet in presbyterio extra clausuram, ita ut facile ad Episcopum accedere possit, et celebratio a monialibus et fidelibus conspici et participari possit.

Benedictio de more fit ad cathedram; sed propter participationem fidelium parari potest pro Episcopo sedes ante altare vel alio loco aptiore.[26]

[20] Cf. Regula S. Benedicti, capp. 2 et 64.
[21] Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatissæ, n. 2.
[22] Cf. *ibidem*, n. 1.
[23] Cf. infra, Appendix III.
[24] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 806-810.
[25] Cf. infra, Appendix II.
[26] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatissæ, nn. 3, 5.

699. Convenit ut sacerdotes in celebratione præsentes cum Episcopo concelebrent, unus saltem diaconus adsit, necnon alii ministri.

700. Præter sacras vestes et ea quæ ad Missæ celebrationem necessaria sunt et dalmaticam pro Episcopo, parentur:

a) Pontificale Romanum;
b) Regula;
c) anulus, si tradendus est;
d) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie ministranda.[27]

Descriptio ritus

701. Ante celebrationem Episcopus cum concelebrantibus, ministris et clero accedit ad portam clausuræ. Electa, cum duabus monialibus sibi assistentibus exit et locum obtinet in processione ad ecclesiam, immediate ante Episcopum.[28]

702. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.[29]

703. Dicto Evangelio, incipit benedictio Abbatissæ. Si casus fert, Episcopus cum mitra vadit ad sedem paratam ut supra dictum est, secus in cathedra sedet. Omnes pariter sedent. Electa a monialibus sibi assistentibus adducitur ad Episcopum et ei reverentiam facit. Una e monialibus electæ assistentibus eam Episcopo præsentat, dicens: *Adest, Reverendíssime Pater,* ut in Pontificali.

Episcopus interrogat dicens: *Scitis illam rite eléctam fuísse?* Monialis respondet: *Scimus et testificámur.* Episcopus subdit: *Deo grátias.*[30]

704. Deinde Episcopus, initium sumens e textu lectionum sacrarum quæ in Missa lectæ sunt, populum, moniales et electam breviter alloquitur de munere Abbatissæ.[31]

705. Post homiliam, electa surgit et stat ante Episcopum, qui illam interrogat: *Vis sanctum propósitum.* Electa ad singulas quæstiones respondet: *Volo.* In fine Episcopus concludit: *Hæc ómnia et univérsa bona tríbuat tibi Dóminus,* et omnes dicunt: *Amen.*[32]

706. Deinde Episcopus deponit mitram et surgit. Omnesque pariter surgunt. Episcopus, manibus iunctis, versus ad populum, dicit invitatorium: *Orémus, caríssimi.* Postea diaconus dicit: *Flectámus génua,*

[27] Cf. Pontificale Romanum, Ordo benedictionis Abbatissæ, n. 4.
[28] Cf. *ibidem,* n. 6.
[29] Cf. *ibidem,* n. 7.
[30] Cf. *ibidem,* nn. 11-13.
[31] Cf. *ibidem,* n. 14.
[32] Cf. *ibidem,* n. 15.

et mox omnes suis locis genua flectunt; electa, ubi moris est, procumbit. Tempore autem paschali et dominicis, non dicitur a diacono: *Flectámus génua;* electa quidem genua flectit vel, ubi moris est, procumbit, reliqui vero stantes remanent. Tunc cantores incipiunt litanias in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum, ex. gr. Patroni, Titularis ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eius quæ benedictionem recipit, Sanctarum eiusdem Ordinis, aut aliquæ invocationes singulis circumstantiis aptiores: nam litaniæ locum tenent orationis universalis. Litaniis expletis, diaconus, si antea ad genuflectendum invitaverat, dicit: *Leváte;* et omnes surgunt.[33]

707. Electa ad Episcopum accedit et ante eum genua flectit. Episcopus, stans sine mitra et manibus extensis, dicit orationem benedictionis seligens unam ex iis quæ in Pontificali Romano præbentur.[34]

708. Finita oratione benedictionis, Episcopus sedet et accipit mitram. Omnes pariter sedent. Abbatissa modo benedicta accedit ad Episcopum, qui Regulam ei in manus tradit, dicens: *Accipe Régulam.*[35]

709. Anulus non traditur, si Abbatissa illum iam recepit in die suæ professionis et consecrationis. Si vero Abbatissa anulum non recepit, Episcopus potest illum ei immittere in digitum anularem dexteræ manus, dicens: *Accipe ánulum.*[36]

710. Tunc Abbatissa salutat Episcopum profunda inclinatione, et ad sedem suam cum duabus assistentibus recedit.[37]

711. Missa deinde prosequitur more consueto. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio universalis omittitur.

712. Electa, eius parentes et propinqui necnon sodales monasterii Communionem sub utraque specie recipere possunt.

713. Benedictione ab Episcopo impertita, diaconus populum dimittit more consueto.

714. Post Missam, dum pro opportunitate canitur hymnus *Te Deum* vel alius huic respondens, Episcopus Abbatissam ducit ad clausuram. Si Episcopus est Ordinarius loci et iurisdictionem immediatam habet super moniales, Abbatissam ad sedem suam in choro conducit et eam ad sedendum invitat, nisi Abbatissa hoc iam peregerit, immediate post electionem.[38]

[33] Cf. *ibidem,* nn. 16-17.
[34] Cf. *ibidem,* n. 18.
[35] Cf. *ibidem,* n. 19.
[36] Cf. *ibidem,* n. 20.
[37] Cf. *ibidem,* n. 21.
[38] Cf. *ibidem,* n. 22.

CAPUT III

DE CONSECRATIONE VIRGINUM

PRÆNOTANDA

715. Ex antiqua traditione, virgo consecrata est signum transcendens amoris Ecclesiæ erga Christum et imago eschatologica Sponsæ cælestis vitæque futuræ.[39]

716. Ad consecrationem virginalem admitti possunt sive moniales sive mulieres vitam sæcularem agentes.[40]

717. Consecratio virginum fieri decet in octava Paschæ, in sollemnitatibus, præsertim in iis quæ ad Domini incarnationem et manifestationem referuntur, in dominicis diebus, in celebrationibus beatæ Virginis Mariæ, sanctarum Virginum, vel Sanctorum qui in vita religiosa eminuerunt.[41]

718. Die constituta, consecrationis ritui proxima, vel saltem pridie, virgines consecrandæ præsentantur Episcopo ad pastorale colloquium instituendum inter filias et diœcesis patrem.[42]

719. Pro opportunitate, maxime ad castitatis laudem, sensum ecclesialem, ædificationem concursumque populi Dei fovendum, fideles de ritus celebratione tempestive certiores fiant.[43]

720. Minister ritus consecrationis virginum est Episcopus diœcesanus. Alius tamen Episcopus ritui præesse potest de consensu ipsius Episcopi diœcesani.[44]

721. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[45] dici potest Missa In consecratione virginum, cum lectionibus propriis,[46] colore albo vel festivo adhibito.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

[39] Cf. Pontificale Romanum, Ordo consecrationis virginum, *Prænotanda*, n. 1.
[40] *Ibidem, Prænotanda*, n. 3 .
[41] Cf. Pontificale Romanum, Ordo consecrationis virginum, cap. I De consecratione virginum, n. 1 et cap. II De consecratione virginum professioni monialium coniuncta, n. 39.
[42] *Ibidem*, nn. 2 et 40.
[43] Cf. *ibidem*, n. 4.
[44] *Ibidem, Prænotanda*, n. 6.
[45] Cf. infra, Appendix III.
[46] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 811-815.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[47] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Formula benedictionis finalis propria Missæ ritualis semper adhiberi potest.

I. De consecratione virginum monialium

722. Monialium virginum consecratio celebratur intra Missam, de more in ecclesia monasterii.[48]

Convenit ut sacerdotes celebrationem participantes cum Episcopo concelebrent. Similiter convenit ut Episcopo assistat saltem diaconus et in ritu peragendo præsto sint ministri, alba vel veste pro eis legitime probata induti.

723. Ad ritum peragendum, præter sacras vestes et ea quæ pro Missæ celebratione sunt necessaria, parentur:

a) Pontificale Romanum;

b) velamina, anuli, aliave virginalis consecrationis aut religiosæ professionis insignia, secundum locorum præscripta vel familiæ religiosæ consuetudines; faces seu cerei;

c) opportuno presbyterii loco sedes pro antistita, si casus fert;

d) item in presbyterio sedes pro virginibus consecrandis, ita tamen dispositæ, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici possit;

e) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

Consecratio fit ad cathedram, at propter participationem fidelium sedes pro Episcopo parari potest ante altare vel loco aptiore.[49]

724. Populo congregato omnibusque rite dispositis, incedit processio more solito per ecclesiam ad altare, dum schola cum populo cantat introitum Missæ. Processioni laudabiliter intersunt virgines consecrandæ, antistita et magistra comitantibus.[50]

725. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, virgines in locis sibi in aula ecclesiæ designatis se disponunt.[51]

726. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

727. Dicto Evangelio, Episcopus, accepta mitra et baculo, sedet in cathedra aut accedit ad sedem paratam; et cantatur antiphona:

[47] Cf. infra, Appendix II.
[48] Cf. Pontificale Romanum, Ordo consecrationis virginum, caput II De consecratione virginum professioni monialium coniuncta, n. 41.
[49] Cf. *ibidem*, nn. 47, 44.
[50] *Ibidem*, n. 48.
[51] Cf. *ibidem*, n. 49.

Prudéntes vírgines. Tunc virgines consecrandæ faces aut cereos accendunt et, comitantibus magistra, aliisque monialibus huic muneri deputatis, ad presbyterium accedunt, at extra ipsum consistunt.

Antiphona finita, Episcopus virgines consecrandas vocat, dicens vel cantans: *Veníte, fíliæ,* cui respondent virgines cantantes antiphonam: *Et nunc séquimur,* et sic presbyterium ingrediuntur, ubi ita se disponunt, ut ritus ab omnibus aspici possit. Candelæ ministris traduntur, aut in apto candelabro collocantur.[52]

728. Omnibus sedentibus, Episcopus homiliam habet in qua, initium sumens e textu lectionum sacrarum quæ in Missa lectæ sunt, populum, moniales et consecrandas alloquitur de virginitatis dono ac munere in electarum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.[53]

729. Expleta homilia, virgines tantum surgunt; tunc Episcopus ab eis quærit num sint paratæ ad Deo se devovendas et perfectam sectandam caritatem secundum regulam vel constitutiones suæ familiæ religiosæ, iuxta ea quae in Pontificali Romano indicantur.[54]

730. Postea omnes surgunt. Episcopus, dimissis baculo et mitra, stans, manibus iunctis, profert invitatorium: *Orémus Deum Patrem omnipoténtem.* Diaconus deinde dicit: *Flectámus génua,* et mox Episcopus et omnes præsentes genua flectunt. Consuetudo autem ut virgines consecrandæ se prosternant, sicubi viget, servari potest.

Tempore tamen paschali et dominicis, diaconus non dicit: *Flectámus génua;* et omnes, exceptis virginibus consecrandis, stant dum canuntur litaniæ.

Tunc canuntur litaniæ. Apto autem loco inseri possunt invocationes eorum Sanctorum qui a Communitate peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliquæ addi invocationes singulis circumstantiis aptiores: nam litaniæ locum tenent orationis universalis.[55]

731. Litaniis expletis, Episcopus stans dicit, manibus extensis, orationem *Exáudi, quǽsumus, Dómine,* eaque expleta, diaconus si ante litanias ad genuflectendum invitaverat subdit: *Leváte,* et omnes surgunt.[56]

732. Tunc Episcopus solus sedet et accipit mitram et baculum. Duæ virgines iam professæ pro familiæ religiosæ vel monasterii consue-

[52] Cf. Pontificale Romanum, Ordo consecrationis virginum, caput II, De consecratione virginum professioni monialium coniuncta, nn. 51-52.

[53] Cf. *ibidem,* caput I, De consecratione virginum, n. 16.

[54] Cf. *ibidem,* caput II, De consecratione virginum professioni monialium coniuncta, nn. 55-56.

[55] Cf. *ibidem,* nn. 57-59.

[56] Cf. *ibidem,* n. 60.

tudine, ad sedem antistitæ accedunt et, stantes, speciali testium munere funguntur.

Virgines professuræ singulæ accedunt ad antistitam et testes, et legunt professionis formulam, quam sua ipsarum manu opportune antea scripserunt.

Deinde, laudabiliter unaquæque ad altare se confert, in illo schedulam professionis deponit et, si commode fieri potest, super ipso professionis instrumentum signat. Quo facto, ad locum sibi assignatum redit.

Tunc, pro opportunitate, virgines nuper professæ, stantes, canunt antiphonam: *Súscipe me, Dómine,* vel alium aptum cantum, qui modo lyrico sensus donationis et gaudii exprimat.[57]

733. Postea Episcopus, baculo et mitra depositis, surgit et, manibus super virgines genuflexas extensis, cantat vel dicit sollemnem precem consecrationis tota congregatione stante.[58]

734. Expleta consecrationis prece, Episcopus sedet et accipit mitram. Populus item sedet; virgines autem surgunt et, comitantibus magistra aliaque moniali huic muneri deputata ad Episcopum accedunt, qui semel pro omnibus dicit: *Accípite, fíliæ caríssimæ;* deinde singulis virginibus velum et anulum, sive anulum solum tradit. Interim schola cum populo cantat antiphonam, ex. gr. *Ad te, Dómine,* cum Psalmo 44 vel alium congruentem cantum.[59]

735. Pro opportunitate Episcopus tradit unicuique virgini etiam librum Liturgiæ Horarum, dicta antea formula traditionis, et omnibus virginibus simul respondentibus: *Amen.*[60]

736. Tunc, pro opportunitate, virgines canunt hanc antiphonam: *Ipsi sum desponsáta,* vel aliam aptam.[61]

737. His expletis, ubi mos viget vel opportunum videtur, significari potest virgines nuper professas ac Deo sacratas in perpetuum familiæ religiosæ esse aggregatas vel aptis verbis ab Episcopo vel ab antistita prolatis, vel signo pacis. Quo in casu Episcopus, modo convenienti, pacem dat monialibus modo consecratis. Deinde antistita aliæque moniales fraternam eis dilectionem significant, secundum familiæ religiosæ vel monasterii consuetudines.

Interea schola, una cum populo, cantat antiphonam: *Quam dilécta tabernácula tua,* cum Psalmo 83, vel alium congruum cantum.[62]

[57] Cf. *ibidem,* nn 61-63.
[58] Cf. *ibidem,* n. 64.
[59] Cf. *ibidem,* nn. 65-67.
[60] Cf. *ibidem,* n. 68.
[61] Cf. *ibidem,* n. 69.
[62] Cf. *ibidem,* n. 70.

738. Tunc virgines nuper professæ ad loca sibi in presbyterio destinata revertuntur. Et prosequitur Missa. Symbolum dicitur secundum rubricas; oratio autem universalis omittitur.[63]

Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnullæ virgines nuper Deo sacratæ ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro Eucharistia celebranda.[64]

In Prece eucharistica addantur intercessiones propriæ.[65]

Episcopus modo convenienti, pacem dat virginibus nuper Deo sacratis.[66]

739. Postquam Episcopus Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, virgines accedunt ad altare, Christi sacramentum sub utraque specie recepturæ. Post eas, sodales, parentes, propinqui eodem modo Eucharistiam sumere possunt.[67]

740. Oratione post Communionem expleta, virgines nuper Deo sacratæ ante altare sistunt. Tunc Episcopus accipit mitram et populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super virgines extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Et vos omnes,* atque signum crucis facit super populum.

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra, nn. 1120-1121, propositis.

741. Data benedictione ab Episcopo, diaconus populum dimittit dicens: *Ite, missa est* et omnes respondent: *Deo grátias.* Virgines, si casus fert, accipiunt cereos suos; schola autem cum populo concinit aptum hymnum vel canticum laudis et ordinatur processio sicut initio Missæ ad reducendas virgines modo consecratas ad portam clausuræ.[68]

II. De consecratione virginum vitam sæcularem agentium

742. Cum huiusmodi virgines ad consecrationem virginalem admittantur consilio et auctoritate Episcopi et plerumque diœcesis operibus deserviant, ritus congruenter fit in ecclesia cathedrali, nisi res moresque loci aliud suadeant.[69]

[63] Cf. Pontificale Romanum, Ordo consecrationis virginum, cap. II, De consecratione virginum professioni monialium coniuncta, n. 50.
[64] Cf. *ibidem,* n. 73.
[65] Cf. *ibidem,* n. 74.
[66] Cf. *ibidem,* n. 75.
[67] *Ibidem,* n. 76.
[68] Cf. *ibidem,* n. 80.
[69] Cf. *ibidem,* cap. I, De consecratione virginum, n. 3.

743. Omnia fiunt ut supra describitur pro consecratione virginum monialium, exceptis iis quæ in Pontificali Romano et infra dicuntur.

744. Decet ut duæ virgines iam Deo sacratæ vel duæ mulieres e fidelium cœtu delectæ, virgines consecrandas comitentur atque ad altare ducant.[70]

745. Pro interrogationibus de voluntate sese Deo consecrandi, post homiliam, textus proprius adhibetur, qui in Pontificali invenitur.[71]

746. Expletis litaniis cum sua oratione, statim singulæ consecrandæ ad Episcopum accedunt, ante eum genuflectunt et manus suas iunctas ponunt inter manus Episcopi, et propositum virginitatis emittunt, dicentes: *Accipe, Pater*. Cui ritui, si hic minus conveniens videatur, alius substitui potest a Conferentia Episcoporum statutus.[72]

747. Pax virginibus consecratis non datur immediate post tradita insignia sed in Missa, uti moris est.[73]

[70] *Ibidem,* n. 10.
[71] Cf. *ibidem,* n. 17.
[72] Cf. *ibidem,* n. 22.
[73] Cf. *ibidem,* n. 34.

CAPUT IV

DE PROFESSIONE PERPETUA RELIGIOSORUM

PRÆNOTANDA

748. « Ecclesia professionem religiosam non tantum sua sanctione ad status canonici dignitatem erigit, sed eam ut statum Deo consecratum etiam actione sua liturgica exhibet. Ipsa enim Ecclesia, auctoritate sibi a Deo commissa, profitentium vota suscipit, prece sua publica eis auxilia et gratiam a Deo impetrat, eos Deo commendat eisque spiritalem benedictionem impertitur, oblationem eorum sacrificio eucharistico adsocians ».[74]

Quod, sub respectu ecclesiali, apparet quando Episcopus, tamquam pater et pastor etiam religiosorum, etsi hi in ordinatione suarum communitatum ab eius regimine sint exempti, ipsorum professioni perpetuæ præest, quæ convenienti sollemnitate populique participatione intra Missam persolvitur.

749. Professio de more fit in ecclesia familiæ religiosæ ad quam pertinent sodales professuri. Si autem ob rationes pastorales aut ad vitæ religiosæ laudem et ad populi Dei ædificationem concursumque fovendum opportunum videtur, ritus in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia congruenter persolvitur: quod valde commendandum videtur sicubi duarum vel plurium familiarum religiosarum sodales in eodem sacrificio eucharistico professionem emittere exoptant. Huic autem communi celebrationi superiores familiarum religiosarum intersint et, si sunt sacerdotes, cum Episcopo concelebrent una cum ceteris sacerdotibus celebrationem participantibus. Episcopo assistat saltem diaconus et in ritu peragendo præsto sint ministri. Ante suum quisque superiorem professurus vota pronuntiabit.[75]

750. Ad professionis perpetuæ ritum peragendum laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitas Domino, beatæ Mariæ Virgini vel Sanctis qui in vita religiosa eminuerunt dicata.[76]

751. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[77] dici potest Missa In die professionis perpetuæ, cum lectionibus propriis,[78] colore albo adhibito.

[74] Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 45.
[75] Rituale Romanum, Ordo professionis religiosæ, caput III: Ritus professionis religiosæ intra Missam peragendus, nn. 44-46.
[76] Cf. *ibidem*, n. 40; cf. C.I.C. 657 § 3.
[77] Cf. infra, Appendix III.
[78] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 811-815.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[79] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Formula benedictionis finalis propria Missæ ritualis semper adhiberi potest.

752. Præter sacras vestes et ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur:

a) Rituale professionis religiosæ;

b) professionis religiosæ insignia, si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ sunt tradenda;

c) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie;

d) in Instituto laicali, opportuno presbyterii loco, sedes pro superiore;

e) in eodem presbyterio, sedes pro religiosis professuris sic dispositæ, ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.[80]

Ritus professionis fit ad cathedram vel ante altare vel loco aptiore.

Descriptio ritus

753. Ad introitum processio fit more solito, eique laudabiliter intersunt professuri, comitante magistro et, in Institutis laicalibus, superiore ipso. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt.[81]

754. Ritus initiales et liturgia verbi usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

755. Dicto Evangelio, Episcopus, accepta mitra et baculo, sedet in cathedra aut accedit ad sedem paratam. Populus sedet; professuri vero stant. Tunc fit appellatio vel postulatio.

Diaconus vel magister nominatim singulos professuros vocat, qui respondent: *Adsum,* vel alio modo secundum consuetudinem familiæ religiosæ vel loci. Deinde Episcopus professuros interrogat de eorum voluntate ut in Rituali.

Loco appellationis fieri potest postulatio: unus ex professuris, stans, omnium nomine postulat admissionem, formula quæ est in Rituali vel alia simili.

In fine omnes respondent: *Deo grátias* vel alio modo.[82]

[79] Cf. infra, Appendix II.

[80] Cf. Rituale Romanum, Ordo professionis religiosæ, caput III: Ritus professionis intra Missam peragendus, nn. 50, 48.

[81] Cf. *ibidem,* n. 51.

[82] Cf. *ibidem,* nn. 48, 53-55.

756. Tunc professuri quoque sedent et Episcopus sedens cum mitra et baculo, nisi ipsi aliter videatur, habet homiliam in qua illustrantur cum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum ac munus ad electorum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.[83]

757. Expleta homilia, professuri surgunt et Episcopus eos interrogat num sint parati ad Deo se devovendos et perfectam sectandam caritatem secundum regulam vel constitutiones familiæ religiosæ, ponens quæstiones quæ in Rituali Romano vel in Rituali proprio proponuntur; quibus expletis professurorum voluntatem confirmat, dicens: *Qui incépit,* vel alia verba similia.[84]

758. Deinde Episcopus deponit baculum ac mitram et surgit, omnesque pariter surgunt. Episcopus, stans, manibus iunctis, dicit invitatorium: *Orémus, fratres dilectíssimi.* Diaconus vero admonet: *Flectámus génua;* tunc Episcopus et omnes præsentes genua flectunt; professuri vero, secundum loci aut familiæ religiosæ consuetudinem, vel procumbunt vel genua flectunt. Tempore autem paschali et dominicis, diaconus non dicit: *Flectámus génua;* professuri quidem procumbunt, ceteri vero stantes remanent.

Tunc cantores incipiunt litanias, omnibus respondentibus. Apto autem loco inseri possunt invocationes eorum Sanctorum qui a familia religiosa vel a populo peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliquæ addi invocationes singulis circumstantiis aptiores: nam litaniæ locum tenent orationis universalis.[85]

759. Litaniis expletis, Episcopus stans dicit, manibus extensis, orationem: *Annue, quǽsumus.* Deinde diaconus, si antea ad genuflectendum invitaverat, dicit: *Leváte,* et omnes surgunt.[86]

760. Episcopus sedet et accipit mitram et baculum. Duo sodales iam professi, qui pro familiæ religiosæ consuetudine, speciali testium munere funguntur, accedunt et stant apud superiorem.

Professuri singuli accedunt et coram Episcopo, superiore suo et testibus, legunt professionis formulam, quam sua ipsorum manu opportune antea scripserunt.

Deinde professus laudabiliter ad altare se confert atque in illo schedulam professionis deponit; tum, si commode fieri potest professionis instrumentum signat super ipso altari. Quo facto, redit ad locum sibi assignatum.[87]

[83] Cf. Rituale Romanum, Ordo professionis religiosæ, caput III: Ritus professionis religiosæ intra Missam peragendus, n. 56.
[84] Cf. *ibidem,* nn. 57-59.
[85] Cf. *ibidem.* nn. 60-62.
[86] Cf. *ibidem,* n. 63.
[87] Cf. *ibidem,* nn. 64-65.

761. Quibus expletis, professi, stantes, canere possunt antiphonam: *Súscipe me, Dómine,* vel alium cantum aptum.[88]

762. Tum religiosi nuper professi genua flectunt. Episcopus deponit baculum et mitram, surgit et, extensis manibus super professos ante se genuflexos, dicit sollemnem benedictionis precem.[89]

763. Benedictione professorum absoluta, si secundum consuetudines familiæ religiosæ tradenda sunt quædam professionis insignia, religiosi nuper professi surgunt et accedunt ad Episcopum qui sedet cum mitra et sua cuique tradit insignia, silentio vel formula in Rituali proprio proposita. Interim omnes sedent et canitur antiphona: *Beáti qui hábitant* cum Psalmo 83, vel alius congruens cantus.[90]

764. Absoluta insignium traditione, secus expleta sollemnis benedictionis prece, ubi mos viget vel opportunum videtur, significari potest religiosos nuper professos in perpetuum Instituto esse aggregatos vel aptis verbis ab Episcopo aut a superiore prolatis vel signo pacis quo Episcopus, superior et sodales fraternam dilectionem religiosis nuper professis significant, secundum familiæ religiosæ consuetudines. Interea cantatur antiphona: *Ecce quam bonum,* cum Psalmo 132 vel alius congruus cantus.

765. Tandem religiosi nuper professi ad loca sibi designata revertuntur. Tunc prosequitur Missa.[91]

Symbolum dicitur secundum rubricas, oratio autem fidelium omittitur.

Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnulli religiosi nuper professi ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro sacrificio eucharistico.[92]

In precibus eucharisticis addantur intercessiones propriæ.[93]

Episcopus pacem dat singulis religiosis nuper professis.[94]

766. Postquam Episcopus Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosi nuper professi ad altare accedunt, Christi Sacramentum sub utraque specie accepturi. Post eos confratres, parentes et propinqui eodem modo Eucharistiam sumere possunt.[95]

[88] Cf. *ibidem,* n. 66
[89] Cf. *ibidem,* n. 67.
[90] Cf. *ibidem,* n. 68.
[91] Cf. *ibidem,* n. 71.
[92] Cf. *ibidem,* n. 72.
[93] Cf. *ibidem,* n. 73.
[94] Cf. *ibidem,* n. 74.
[95] Cf. *ibidem,* n. 75.

767. Oratione post Communionem expleta, religiosi mox Deo sacrati ante altare sistunt. Tunc Episcopus accipit mitram et populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super professos extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Et vos omnes,* signum crucis faciens super populum.[96]

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra, nn. 1120-1121, propositis.

768. Data benedictione ab Episcopo, diaconus populum dimittit, dicens: *Ite, missa est,* et omnes respondent: *Deo grátias.*

[96] Cf. *ibidem,* nn. 76-77.

CAPUT V

DE PROFESSIONE PERPETUA RELIGIOSARUM

PRÆNOTANDA

769. Vita Deo sacrata religionis vinculis, magno in honore semper fuit apud Ecclesiam, quæ professionem religiosam iam inde a primis sæculis sacris ritibus exornavit.

Quod continuo fit etiam nostris temporibus: Ecclesia enim profitentium vota suscipit, prece sua publica eis auxilia et gratiam a Deo impetrat, eos Deo commendat eisque spiritalem benedictionem impertitur, oblationem eorum sacrificio eucharistico adsocians.[97]

Talis vitæ Ecclesiæ adspectus manifestationem præcipuam habet quando Episcopus, ut sacerdos magnus a quo vita fidelium in diœcesi derivatur et pendet,[98] professioni perpetuæ religiosarum in sua diœcesi degentium, inter Missarum sollemnia persolvendæ, præest.

770. Professio de more fit in ecclesia familiæ religiosæ ad quam pertinent sodales professuræ. Si autem ob rationes pastorales aut ad vitæ religiosæ laudem et ad populi Dei ædificationem concursumque fovendum opportunum videtur, ritus in cathedrali vel parœciali aliave insigni ecclesia congruenter persolvitur: quod valde commendandum videtur sicubi duarum vel plurium familiarum religiosarum sodales in eodem sacrificio eucharistico professionem emittere exoptant, Episcopo præsidente. Ante suam quæque antistitam professura vota pronuntiabit.[99]

Præstat ut sacerdotes celebrationem participantes cum Episcopo concelebrent. Episcopo assistat saltem diaconus et in ritu peragendo præsto sint ministri.

771. Ad professionis perpetuæ ritum peragendum laudabiliter eligitur dies dominica aut sollemnitas Domino, beatæ Mariæ Virgini vel Sanctis qui in vita religiosa eminuerunt dicata.[100]

772. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur,[101] dici potest Missa In die professionis perpetuæ, cum lectionibus propriis,[102] colore albo adhibito.

[97] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 45.
[98] Cf. Conc. Vat. II, Const. de Sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 41.
[99] Rituale Romanum, Ordo professionis religiosæ, caput III: Ritus professionis religiosæ intra Missam peragendus, nn. 50-51.
[100] Cf. *ibidem*, n. 43; cf. C.I.C. 657 § 3.
[101] Cf. infra, Appendix III.
[102] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 811-815.

Si tamen Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[103] dicitur Missa de die, cum suis lectionibus.

Formula benedictionis finalis propria Missæ ritualis semper adhiberi potest.

773. Præter sacras vestes et ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt, hæc parentur:

a) Rituale professionis religiosæ;

b) professionis religiosæ insignia, si secundum leges vel consuetudines familiæ religiosæ sunt tradenda;

c) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie;

d) opportuno presbyterii loco, sedes pro antistita, sororum professionem receptura;

e) scamna pro religiosis professuris ita disponantur, ut tota actio liturgica a fidelibus bene conspici possit.

Ritus professionis fit ad cathedram, vel ante altare vel loco aptiore.

DESCRIPTIO RITUS

774. Ad introitum processio fit more solito, eique laudabiliter intersunt professuræ, antistita et magistra comitantibus. Cum ad presbyterium pervenerint, facta altari debita reverentia, omnes locis sibi designatis se disponunt.[104]

775. Ritus initiales et liturgia verbi usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

776. Dicto Evangelio, Episcopus, accepta mitra et baculo, sedet in cathedra aut accedit ad sedem. Populus sedet; professuræ vero stant. Tunc fit appellatio vel postulatio.

Diaconus vel magistra nominatim singulas professuras vocat, quæ respondent: *Adsum,* vel alio modo secundum consuetudinem familiæ religiosæ vel loci. Deinde Episcopus professuras interrogat de eorum voluntate ut in Rituali.

Loco appellationis fieri potest postulatio: una ex professuris, stans, omnium nomine, ad antistitam conversa, postulat admissionem formula quæ est in Rituali vel alia simili.

In fine omnes respondent: *Deo grátias* vel alio apto modo.[105]

[103] Cf. infra, Appendix II

[104] Cf. Rituale Romanum, Ordo professionis religiosæ, caput III, Ritus professionis religiosæ intra Missam peragendus, nn. 55-56.

[105] Cf. *ibidem,* nn. 58, 59, 60.

777. Tunc professuræ quoque sedent et Episcopus sedens cum mitra et baculo, nisi ipsi aliter videatur, habet homiliam in qua illustrantur cum lectiones biblicæ tum professionis religiosæ donum ac munus ad electarum sanctificationem atque Ecclesiæ totiusque humanæ familiæ bonum.[106]

778. Expleta homilia, professuræ surgunt et Episcopus eas interrogat num sint paratæ ad Deo se devovendas et perfectam sectandam caritatem secundum regulam vel constitutiones familiæ religiosæ, ponens quæstiones quæ in Rituali Romano vel in Rituali proprio proponuntur; quibus expletis professurarum voluntatem confirmat, dicens: *Qui incépit*, vel alia verba similia.[107]

779. Deinde Episcopus deponit baculum ac mitram et surgit, omnesque pariter surgunt. Episcopus, stans, manibus iunctis, dicit invitatorium: *Fratres dilectíssimi.* Diaconus vero admonet: *Flectámus génua;* tunc Episcopus et omnes præsentes genua flectunt; professuræ vero, secundum loci aut familiæ religiosæ consuetudinem, vel procumbunt vel genua flectunt. Tempore autem paschali et dominicis, diaconus non dicit: *Flectámus génua;* professuræ quidem procumbunt, ceteri vero stantes remanent.

Tunc cantores incipiunt litanias, omnibus respondentibus. Apto autem loco inseri possunt invocationes eorum Sanctorum qui a familia religiosa vel a populo peculiari veneratione coluntur, necnon, pro opportunitate, aliquæ addi invocationes singulis circumstantiis aptiores: nam litaniæ locum tenent orationis universalis.[108]

780. Litaniis expletis, Episcopus stans dicit, manibus extensis, orationem: *Annue, quǽsumus.* Deinde diaconus, si antea ad genuflectendum invitaverat, dicit: *Leváte,* et omnes surgunt.[109]

781. Episcopus sedet et accipit mitram et baculum. Duo sorores iam professæ, quæ pro familiæ religiosæ consuetudine, speciali testium munere funguntur, accedunt et stant apud antistitam.

Professuræ singulæ accedunt ad antistitam et legunt professionis formulam, quam sua ipsarum manu opportune antea scripserunt.

Deinde professa laudabiliter ad altare se confert atque in illo schedulam professionis deponit; tum, si commode fieri potest, professionis instrumentum signat super ipso altari. Quo facto, redit ad locum sibi assignatum.[110]

[106] Cf. *ibidem,* n. 61.
[107] Cf. *ibidem,* nn. 62-64.
[108] Cf. *ibidem,* nn. 65-67.
[109] Cf. *ibidem,* n. 68.
[110] Cf. *ibidem,* nn. 69-70.

782. Quibus expletis, professæ, stantes, canere possunt antiphonam: *Súscipe me, Dómine,* vel alium cantum aptum, qui sensum donationis et gaudii exprimat.[111]

783. Tum religiosæ nuper professæ genua flectunt. Episcopus deponit baculum et mitram, surgit et, extensis manibus super professas ante se genuflexas, dicit sollemnem benedictionis precem.[112]

784. Benedictione professarum absoluta, si secundum consuetudines familiæ religiosæ tradenda sunt quædam professionis insignia, religiosæ nuper professæ surgunt et accedunt ad Episcopum qui sedet cum mitra et, sua cuique tradit insignia silentio vel formula in Rituali proprio proposita. Sic, exempli gratia, si tradendi sunt anuli, religiosæ nuper professæ surgunt et accedunt ad Episcopum, qui unicuique anulum tradit, dicens formulam prævisam. Si vero religiosæ nuper professæ sunt plures, aliave iusta de causa, Episcopus formulam qua anulum traditur, semel pro omnibus dicere potest. Professæ accedunt postea ad Episcopum, anulum recepturæ.

Interea schola, una cum populo, cantat antiphonam: *Ipsi sum desponsáta* cum Psalmo 44, vel alium congruentem cantum.[113]

785. His expletis, ubi mos viget vel opportunum videtur, significari potest sorores nuper professas in perpetuum familiæ religiosæ esse aggregatas vel aptis verbis ab Episcopo aut ab antistita prolatis, vel signo pacis, quo Episcopus, convenienti modo, ac deinde antistita et sodales fraternam dilectionem religiosis nuper professis significant.

Interea cantatur antiphona: *Quam dilécta tabernácula tua* cum Psalmo 83, vel alius cantus aptus.[114]

786. Tandem religiosæ nuper professæ ad loca sibi designata revertuntur. Tunc prosequitur Missa.

Simbolum dicitur secundum rubricas; oratio autem fidelium omittitur.

Dum cantus ad offertorium peragitur, nonnullæ religiosæ nuper professæ ad altare opportune afferunt panem, vinum et aquam pro sacrificio eucharistico.[115]

In Precibus eucharisticis addantur intercessiones propriæ.[116]

[111] Cf. Rituale Romanum, Ordo professionis religiosæ, caput III, Ritus professionis religiosæ intra Missam peragendus, n. 71.
[112] Cf. *ibidem,* n. 72.
[113] Cf. *ibidem,* nn. 73-76.
[114] Cf. *ibidem,* n. 77.
[115] *Ibidem,* n. 79.
[116] Cf. *ibidem,* n. 80.

Episcopus pacem dat, convenienti modo, religiosis nuper professis.[117]

787. Postquam Episcopus Corpus et Sanguinem Domini sumpsit, religiosæ nuper professæ ad altare accedunt, Communionem recepturæ sub utraque specie. Post eas, sodales, parentes et propinqui, eodem modo Eucharistiam sumere possunt.[118]

788. Oratione post Communionem expleta, religiosæ mox Deo sacratæ ante altare sistunt. Tunc Episcopus accipit mitram et populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum.* Tunc unus e diaconis dicere potest invitatorium ad benedictionem atque Episcopus, manibus super professas extensis, invocationes benedictionis profert. Deinde accipit baculum et dicit: *Et vos omnes,* signum crucis faciens super populum.[119]

Episcopus benedictionem impertire potest etiam formulis infra nn. 1120-1121 propositis.

789. Data benedictione ab Episcopo, diaconus populum dimittit, dicens: *Ite, missa est,* et omnes respondent: *Deo grátias.*

[117] *Ibidem,* n. 81.
[118] Cf. *ibidem,* n. 82.
[119] Cf. *ibidem,* nn. 83-84, 160.

CAPUT VI

DE INSTITUTIONE LECTORUM ET ACOLYTHORUM

Prænotanda

790. Ministeria lectoris et acolythi in Ecclesia latina servanda sunt; ea christifidelibus viris laicis committi possunt, ita ut candidatis ad sacramentum Ordinis reservata non habeantur.

Candidati tamen ad Diaconatum et Presbyteratum ministeria lectoris et acolythi recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere debent, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et Altaris.[120]

791. Ministeria lectoris et acolythi nequeunt una simul eisdem personis conferri, nisi servata sint inter utrumque interstitia ab Apostolica Sede vel a Conferentia Episcoporum statuta.[121]

792. Ministeria conferuntur ab Episcopo vel, in Institutis perfectionis clericalibus, a Superiore maiore, intra Missam vel in celebratione verbi Dei.[122]

793. Episcopus, in ritu peragendo, habeat secum diaconum vel presbyterum ad candidatos vocandos, aliosque ministros necessarios.

Ritus peragitur ad cathedram vel ad sedem, nisi, ad participationem populi fovendam, opportunius videatur aliam sedem ante altare parare.

Si ritus celebratur intra Missam, Episcopus induit vestes sacras pro celebratione eucharistica requisitas ac utitur mitra et baculo; si vero extra Missam celebratur, potest crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis induere supra albam, aut tantum crucem et stolam super rochetum et mozetam assumere: hoc in casu non utitur mitra et baculo.

I. De institutione lectorum

794. Lector instituitur ad munus, quod est ei proprium, legendi in cœtu liturgico verbum Dei. Quapropter in Missa et in aliis sacris actionibus lectiones e Sacra Scriptura, excepto Evangelio, profert.[123]

[120] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam*, 15 augusti 1972, nn. III, IV, XI: A.A.S. 64 (1972), pp. 531-533.
[121] Cf. *ibidem*, n. X.
[122] Cf. *ibidem*, n. IX.
[123] Cf. *ibidem*, n. V.

Ipsi insuper peculiare munus in populo Dei committitur pueros et adultos in fide et ad sacramenta digne recipienda instituendi.[124]

795. Ad ritum peragendum parentur:

a) si ministerium intra Missam confertur, ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt; secus vestes quæ infra n. 804 indicantur;

b) Pontificale Romanum;

c) librum Sacræ Scripturæ;

d) sedes pro Episcopo;

e) sedes pro lectoribus instituendis, in apto presbyterii loco sic dispositæ, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici possit;

f) si ritus intra Missam celebratur et Communio sub utraque specie distribuitur, calix sufficientis magnitudinis.

De institutione lectorum intra Missam celebranda

796. Dici potest Missa pro ministris Ecclesiæ, cum lectionibus propriis ritus institutionis,[125] colore albo vel festivo adhibito.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, dicitur Missa de die.

Quando Missa pro ministris Ecclesiæ non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro ritu institutionis proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.[126]

797. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

798. Dicto Evangelio, Episcopus sedet ad cathedram vel ad sedem aptiore loco paratam, accipit mitram et convenienter baculum. Omnibus item sedentibus, diaconus vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens: *Accédant qui instituéndi sunt in ministério Lectórum.* Candidati nominatim vocantur. Singuli respondent: *Adsum,* ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt et ad sedes suas redeunt.[127]

799. Tunc Episcopus homiliam habet, in qua tum Sacræ Scripturæ textus prolati tum ministerium lectoris populo illustrantur. Quam homiliam concludit verbis, ut in Pontificali indicantur, vel similibus, candidatos ipsos alloquens.[128]

[124] Cf. Pontificale Romanum, De institutione lectorum, n. 4, Allocutio.
[125] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 780-784.
[126] Cf. infra, Appendix II.
[127] Cf. Pontificale Romanum, De institutione lectorum, n. 3.
[128] Cf. *ibidem,* n. 4.

800. Allocutione expleta, Episcopus, dimissis baculo et mitra, surgit, omnesque cum eo. Candidati ante ipsum genua flectunt. Episcopus fideles ad orandum invitat, dicens, manibus iunctis: *Deum Patrem, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur.* Tunc omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant; deinde Episcopus, stans et manus extensas tenens, dicit super candidatos orationem benedictionis: *Deus, fons omnis lúmininis.*[129]

801. Deinde omnes sedent. Episcopus sedet et accipit mitram. Candidati surgunt et accedunt ad Episcopum, qui singulis tradit librum Sacræ Scripturæ, dicens: *Accipe librum Sacræ Scriptúræ.* Interim, præsertim si multi sunt candidati, canitur Psalmus 18 vel alius aptus cantus.[130]

802. His expletis, Missa prosequitur more solito vel symbolo, si dicendum sit, vel oratione universali, in qua peculiares fiunt supplicationes pro lectoribus nuper institutis.

803. Lectores, eorumque parentes et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt.

De institutione lectorum cum celebratione verbi Dei peragenda

804. Episcopus induere potest crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis, super albam; aut tantum crucem et stolam super rochetum et mozetam assumere; hoc in casu non utitur mitra et baculo.

805. Ante salutationem Episcopi, celebratio initium sumere potest antiphona vel cantu apto; deinde dici potest collecta e Missa pro ministris Ecclesiæ. Liturgia verbi eadem ratione ac in Missa peragitur, cantibus inter lectiones opportune insertis.

806. Institutio lectorum fit modo supra, nn. 799-801, indicato.

807. Ritus institutionis concluditur oratione universali et oratione dominica. Deinde Episcopus præsentes benedicit more consueto, ut infra nn. 1120-1121; eosque diaconus dimittit, dicens: *Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias,* et recedunt.

[129] Cf. Pontificale Romanum, De institutione lectorum, nn. 5-6.
[130] Cf. *ibidem*, n. 7.

II. De institutione acolythorum

808. Acolythus instituitur ut diaconum adiuvet et sacerdoti ministret. Eius igitur est ministerium altaris curare, diacono atque sacerdoti opitúlari in actionibus liturgicis, præsertim in Missæ celebratione. Eiusdem præterea est, ut ministri extraordinarii, sacram Communionem distribuere. In extraordinariis insuper adiunctis ipsi mandari licebit ut sanctam Eucharistiam fidelium adorationi publice exponat et postea reponat, non autem ut benedictionem cum sanctissimo Sacramento impertiat.[131]

809. Institutio acolythorum fit tantum intra Missam.

810. Ad ritum peragendum, præter sacras vestes hæc parentur:
a) ea quæ ad Missæ celebrationem necessaria sunt;
b) Pontificale Romanum;
c) vasculum cum pane vel vino consecrando;
d) sedes pro Episcopo;
e) sedes pro acolythis instituendis, opportuno presbyterii loco sic dispositæ, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici possit;
f) calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

811. Dici potest Missa pro ministris Ecclesiæ, cum lectionibus propriis ritus institutionis,[132] colore albo vel festivo adhibito.

Occurentibus vero diebus qui sub nn. 1-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, dicitur Missa de die.

Quando Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro ritu institutionis proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.[133]

812. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

813. Dicto Evangelio, Episcopus sedet ad cathedram vel ad sedem aptiore loco paratam, accipit mitram et convenienter baculum. Omnibus item sedentibus, diaconus vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens: *Accédant qui instituéndi sunt in ministério Acolythórum.* Candidati nominatim vocantur. Singuli respondent: *Adsum,* ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt, et ad sedes suas redeunt.[134]

[131] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam,* 15 augusti 1972, n. VI: A.A.S. 64 (1972), pp. 532-533.
[132] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 785-789.
[133] Cf. infra, Appendix II.
[134] Cf. Pontificale Romanum, De institutione acolythorum, n. 3.

814. Tunc Episcopus homiliam habet, in qua tum Sacræ Scripturæ textus prolati tum ministerium acolythi populo illustrantur. Quam homiliam concludit verbis ut in Pontificali indicantur, vel similibus, candidatos ipsos alloquens.[135]

815. Allocutione expleta, Episcopus, dimissis baculo et mitra, surgit, omnesque cum eo. Candidati coram ipso genua flectunt. Episcopus fideles ad orandum invitat, dicens, manibus iunctis: *Dóminum, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur.* Tunc omnes per aliquod temporis spatium silentio orant; deinde Episcopus, stans et manus extensas tenens, dicit super candidatos orationem benedictionis: *Clementíssime Deus, qui per Unigénitum Fílium tuum.*[136]

816. Deinde omnes sedent. Episcopus sedet et accipit mitram. Candidati surgunt et accedunt ad Episcopum, qui tradit singulis vasculum cum pane vel cum vino consecrando, dicens: *Accipe vásculum.*[137] Interim, præsertim si candidati multi sunt, canitur psalmus vel alius cantus aptus.

817. His expletis, Missa prosequitur more solito, symbolo, si dicendum sit, vel oratione universali, in qua peculiares fiunt supplicationes pro acolythis nuper institutis.

818. Acolythi vel, si plures sunt, aliqui ex ipsis, in præparatione donorum afferunt patenam cum pane et calicem cum vino.[138]

819. Acolythi, eorumque parentes et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt. Acolythi Communionem recipiunt statim post diaconos.

820. Episcopus mandare potest ut acolythus, qui factus est minister extraordinarius Eucharistiæ, auxilium præstet, in Missa suæ institutionis, ad sacram Communionem fidelibus distribuendam.[139]

[135] Cf. Pontificale Romanum, De institutione acolythorum, n. 4.
[136] Cf. *ibidem*, nn. 5-6.
[137] Cf. *ibidem*, n. 7.
[138] *Ibidem*, n. 8.
[139] *Ibidem*, n. 10.

CAPUT VII

DE EXSEQUIIS QUIBUS EPISCOPUS PRÆSIDET

PRÆNOTANDA

821. Valde convenit ut Episcopus, quippe fidei præco et consolationis minister, præsideat, pro posse, exsequiis quæ cum magno populi concursu peraguntur, præsertim quando agitur de Episcopo vel presbytero defuncto.

822. Ad exsequias celebrandas hæc parentur:

a) *In secretario vel loco aptiore:*

sacræ vestes, coloris exsequialis:

— pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, pluviale pro processione et celebratione verbi Dei, casula pro Missa, mitra simplex, baculus pastoralis;

— pro concelebrantibus: vestes pro Missa;

— pro diaconis: albæ, stolæ, (dalmaticæ);

— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

b) *In domo defuncti:*

— Rituale Romanum;

— crux in processione ferenda et candelabra;

— vas aquæ benedictæ cum aspersorio;

— turibulum cum navicula incensi et cochleari.

c) *In presbyterio:*

— ea quæ ad Missæ celebrationem vel celebrationem verbi Dei requiruntur.

d) *Prope locum ubi deponitur feretrum:*

— cereus paschalis;

— ea quæ ad ritum commendationis requiruntur, si in processione ex domo defuncti non sunt delata.

823. In celebratione exsequiarum, præter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in cæremoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio.

Laudabiliter servanda est consuetudo deponendi defunctum ea positione, quæ ipsi communis fuit in cœtu liturgico, scilicet minister ordinatus facie versa ad populum, laicus facie versa ad altare.

824. In celebratione exsequiarum omnino servetur nobilis simplicitas. Laudabiliter igitur supra pavimentum feretrum et prope feretrum

unus cereus paschalis collocatur. Super feretrum ponitur vel Evangelium vel Sacrarum Scripturarum codex, aut crux. Si defunctus est minister ordinatus, secundum locorum consuetudinem, deponi possunt insignia proprii ordinis.

Altare floribus ne ornetur. Sonus organi et aliorum instrumentorum permittitur tantum ad cantum sustentandum.

Descriptio ritus

825. Præsertim cum de funere alius Episcopi agitur, attentis loci consuetudinibus et convenientiæ rationibus, præferendus est primus typus exsequiarum in Rituali Romano prævisus, qui tres stationes complectitur, scilicet in domo defuncti, in ecclesia et in cœmeterio, cum duabus processionibus intermediis. Hoc in casu laudabiliter Episcopus præsidet etiam stationi in domo defuncti et primæ processioni.

Si Episcopus ipse domum defuncti non adeat et tamen hæc statio peragenda sit, ab uno e presbyteris cui id competit celebretur; Episcopus vero in ecclesia exspectet ad cathedram vel in secretario.

826. Quando Episcopus præsidet stationi in domo defuncti et processioni ad ecclesiam, loco aptiore induit albam, crucem pectoralem, stolam ac pluviale coloris exsequialis et assumit mitram simplicem atque baculum pastoralem. Concelebrantes, si aderint in Missa, iam ab initio induuntur vestibus præscriptis.

Diaconi et ministri suis vestibus induuntur.

827. In domo defuncti, Episcopus humaniter salutat adstantes, exprimens eis consolationem fidei. Deinde aptus psalmus, pro opportunitate, responsoriali modo dicitur. Postea Episcopus subiungit congruam orationem ex iis quæ in Rituali Romano indicantur.[140]

828. Si delatio defuncti ad ecclesiam fit cum processione, primus de more incedit turiferarius cum turibulo fumiganti, deinde minister cum cruce inter duos acolythos candelabra deferentes, postea clerici et diaconi, veste talari et superpelliceo induti, presbyteri, proprio chorali habitu induti, deinde concelebrantes, si aderint, et Episcopus cum mitra et baculo duobus diaconis comitantibus, denique ministrantes ad librum et baculum feretrum præcedentes.

Interim canuntur psalmi, vel alii cantus apti ad normam Ritualis Romani.[141]

829. Si non fit statio in domo defuncti, Episcopus vel unus e presbyteris ad ianuam ecclesiæ omnia peragit ut supra in domo defuncti.

[140] Cf. Rituale Romanum, Ordo exsequiarum, nn. 33-34; 167-169.
[141] Cf. *ibidem*, n. 35.

830. Ad ingressum in ecclesiam et ad initium Missæ, de more unicus peragatur cantus, ut in Missali; attamen, si specialis ratio pastoralis hoc requirat, potest adiungi unum ex responsoriis, quæ in Rituali Romano indicantur.[142]

831. Cum ad altare pervenerit, Episcopus baculum et mitram dimittit, altare veneratur et pergit ad cathedram ubi deponit pluviale et assumit casulam.

Interim deponitur loco apto ante altare defunctus positione ipsi congrua, ut supra n. 823 dicitur.

832. Missa exsequialis celebratur more omnibus Missis consueto.

In Precibus eucharisticis secunda et tertia addantur intercessiones propriæ.

833. Dicta oratione post Communionem, etiamsi Episcopus non celebraverit, vel, si sacrificium eucharisticum locum non habuerit, post expletam liturgiam verbi, Episcopus, indutus respective casula vel pluviali, accipit mitram et baculum et pergit ad feretrum, ubi, stans versus ad populum, habens apud se diaconum et ministros cum aqua benedicta et incenso, ritum ultimæ commendationis et valedictionis persolvit.[143]

Si vero sepulcrum est in ipsa ecclesia, hic ritus convenienter peragitur ad sepulcrum. Tunc fit processio et interim fiunt cantus de quibus in Rituali Romano.[144]

834. Deinde Episcopus stans prope feretrum, depositis baculo et mitra, profert invitationem: *Débitum humáni córporis*, vel aliam similem. Et omnes aliquantulum silentio orant. Tunc Episcopus aspergit et turificat corpus. Interim canitur *Subveníte, Sancti Dei*, vel aliud responsorium ut in Rituali Romano indicatur. Aspersio et turificatio fieri possunt etiam post cantum. Demum Episcopus dicit orationem: *In manus tuas*, vel aliam aptam.[145]

835. Si corpus defertur ab ecclesia ad cœmeterium, Episcopus vel exspectat ad cathedram dum corpus defertur ex ecclesia, vel statim redit ad secretarium. Si vero Episcopus ipse processionaliter funus comitetur, tunc processio fit ut in prima statione et cantari possunt psalmi et antiphonæ, de quibus in Rituali Romano.[146]

836. Cum ad cœmeterium pervenerit, Episcopus, si casus fert, sepulcrum benedicit, depositis baculo et mitra, et dicta oratione de qua

[142] Cf. *ibidem*, nn. 37 et 47; 187-191.
[143] Cf. *ibidem*, n. 46.
[144] Cf. *ibidem*, nn. 50; 166.
[145] Cf. *ibidem*, nn. 46-48; 183-192.
[146] Cf. *ibidem*, nn. 52; 157.

in Rituali Romano, si adsit consuetudo, aqua benedicta aspergit atque deinde incensat tumulum et corpus defuncti.[147]

837. Tumulatio fit vel statim vel ad finem ritus, iuxta consuetudinem locorum. Dum corpus in sepulcrum immittitur, vel alio momento opportuno, Episcopus potest monitionem *Quia plácuit* dicere, de qua in Rituali Romano.[148]

838. Deinde Episcopus potest orationem fidelium proponere, dicens monitionem, diacono vero intentiones proferente, quam concludit oratione: *Fac quǽsumus Dómine* vel alia ex iis quæ in Rituali Romano proponuntur. In fine adiungitur versus: *Réquiem ætérnam,* et haberi potest aliquis cantus, secundum locorum consuetudines.[149]

839. Si Episcopus ipse non celebrat, præsideat liturgiæ verbi ad cathedram, pluviale retinens. Idem facit si, omisso sacrificio eucharistico, peragitur liturgia verbi ut in Rituali Romano indicatur.

In peragendis exsequiis sive parvulorum sive adultorum secundum alios typos in Rituali Romano prævisos Episcopus se gerit modo supra descripto, opportunis mutationibus inductis.

[147] Cf. *ibidem,* nn. 53; 193-195.
[148] Cf. *ibidem,* n. 55.
[149] Cf. *ibidem,* nn. 56; 196-199.

CAPUT VIII

DE IMPONENDO PRIMARIO LAPIDE VEL INCHOANDO OPERE AD ECCLESIAM ÆDIFICANDAM

PRÆNOTANDA

840. Cum ædificium novæ ecclesiæ inchoatur, celebrari expedit ritum, quo benedictio Dei in opus perficiendum imploretur et fideles moneantur ædem ex lapidibus exstruendam signum visibile fore vivæ illius Ecclesiæ seu ædificationis Dei,[150] quam ipsi constituunt.

Secundum morem liturgicum, hic ritus constat benedictione areæ novæ ecclesiæ et benedictione ac impositione primarii lapidis.

Sicubi vero, ob peculiarem artem atque rationem ædificandi, primarius lapis non adhibetur, ritum tamen benedictionis areæ novæ ecclesiæ celebrari oportet ad initium operis Deo dicandum.[151]

841. Ritus imponendi primarium lapidem vel inchoandi novam ecclesiam quolibet die et hora peragi potest, præterquam Triduo paschali; dies vero potissimum eligatur quo fideles frequentiores convenire possint.[152]

842. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœcesis; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo aut presbytero, præsertim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastorali diœcesis vel communitatis pro qua nova ecclesia ædificatur.[153]

843. Fideles de die atque hora celebrationis tempestive certiores fiant atque a parocho vel ab aliis, ad quos spectat, erudiantur de sensu ritus necnon de veneratione adhibenda ecclesiæ, quæ pro ipsis ædificatur.

Expedit quoque fideles invitari ad opem suam sponte ac libenter suppeditandam in ecclesiæ ædificatione.[154]

844. Provideatur, quantum fieri potest, ut area ecclesiæ erigendæ sit bene delineata atque commode circumiri possit.[155]

[150] Cf. 1 Cor 3, 9; Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium,* n. 6.

[151] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput I: Ordo imponendi primarium lapidem vel inchoandi opus ad ecclesiam ædificandam, n. 1.

[152] Cf. *ibidem,* n. 2.

[153] Cf. *ibidem,* n. 3.

[154] Cf. *ibidem,* n. 4.

[155] Cf. *ibidem,* n. 5.

845. In loco ubi altare erigetur, figitur crux lignea convenientis altitudinis.[156]

846. Pro ritus celebratione parentur:

a) Pontificale Romanum, Lectionarium;

b) sedes pro Episcopo;

c) lapis primarius, si casus fert, qui secundum traditum morem est quadratus et angularis, necnon cæmentum et instrumenta ad lapidem in fundamentis collocandum;

d) vas aquæ benedictæ cum aspersorio;

e) turibulum cum navicula incensi et cochleari;

f) crux processionalis et intorticia pro ministris.

Disponantur apta instrumenta technica, ut populus congregatus lectiones, preces, admonitiones clare audire possit.[157]

847. Ad ritum celebrandum sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

a) pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, pluviale, mitra, baculus pastoralis;

b) pro diaconis: albæ, stolæ, et, pro opportunitate, dalmaticæ;

c) pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.[158]

Accessus ad locum ubi ecclesia erigetur

848. Congregatio populi et accessus ad locum ubi ritus est peragendus, pro temporum et locorum adiunctis, convenienter fiunt alterutro modo qui infra describitur.[159]

Modus prior: *Processio*

849. Hora competenti, fit collecta in apto loco unde christifideles processionaliter pergent ad locum designatum.[160]

850. Episcopus, sacris vestibus indutus, mitram et baculum gerens, vel, pro opportunitate, rocheto, mozeta, cruce pectorali et stola (hoc in casu sine mitra et baculo), accedit cum ministris ad populum

[156] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput I: Ordo imponendi primarium lapidem vel inchoandi opus ad ecclesiam ædificandam. n. 6.

[157] Cf. *ibidem*, n. 7.

[158] Cf. *ibidem*, n. 8.

[159] Cf. *ibidem*, n. 9.

[160] Cf. *ibidem*, n. 10.

congregatum et, depositis baculo et mitra, eum salutat, dicens: *Grátia Dómini nostri Iesu Christi,* vel alia verba.

Deinde Episcopus fideles breviter alloquitur ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret.[161]

851. Expleta admonitione, Episcopus dicit: *Orémus.* Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur: *Deus, qui Ecclésiam sanctam.*[162]

852. Oratione expleta, Episcopus accipit mitram et baculum, ac diaconus, si casus fert, admonet: *Procedámus in pace.* Et ordinatur processio: præcedit minister cum turibulo fumiganti, sequitur crucifer medius inter duos ministros cum intorticiis accensis, clerus, deinde Episcopus cum diaconis assistentibus aliisque ministris, postremo fideles. Incedente processione, canitur Psalmus 83 cum antiphona: *Concupíscit ánima mea,* vel alius aptus cantus. Deinde fit lectio verbi Dei, ut infra nn. 855-857 describitur.[163]

Modus alter: *Statio ad locum ubi nova ecclesia est erigenda*

853. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad aream ubi nova ecclesia est erigenda. Populo congregato, canitur acclamatio: *Pax ætérna,* vel alius cantus aptus. Interea Episcopus alba, cruce pectorali, stola et pluviali indutus, mitram et baculum gerens, vel, pro opportunitate rocheto, mozeta, cruce pectorali et stola (hoc in casu sine mitra et baculo) accedit ad populum eumque, depositis mitra et baculo, salutat dicens: *Grátia Dómini nostri Iesu Christi,* vel alia apta verba. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alia apta verba.

Deinde Episcopus fideles alloquitur paucis verbis, ut eos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret.[164]

854. Expleta admonitione, Episcopus dicit: *Orémus.* Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur oratione: *Deus, qui Ecclésiam sanctam.*[165]

[161] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput I: Ordo imponendi primarium lapidem vel inchoandi opus ad ecclesiam ædificandam, nn. 11-12.
[162] *Ibidem,* n. 13.
[163] Cf. *ibidem,* n. 14.
[164] Cf. *ibidem,* nn. 15-16.
[165] Cf. *ibidem,* n. 17.

Lectio verbi Dei

855. Deinde Episcopus sedet et assumit mitram. Tunc leguntur unus vel plures apti Sacræ Scripturæ textus, ex iis quæ in Lectionario pro ritu dedicationis ecclesiæ proponuntur, congruo interiecto psalmo responsorio vel alio apto cantu.[166]

856. Lectionibus expletis, Episcopus, sedens cum baculo et mitra, nisi ipsi aliter videatur, facit homiliam, in qua lectiones biblicas opportune illustrat atque ritus sensum aperit: Christum angularem Ecclesiæ esse lapidem, atque ædem quam viva fidelium Ecclesia est ædificatura, domum Dei fore, simulque domum populi Dei.[167]

857. Post homiliam, secundum loci consuetudinem, legi potest instrumentum benedictionis primarii lapidis et initii ædificationis ecclesiæ, subsignandum ab Episcopo legatisque eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dabunt, et una cum primario lapide in fundamentis includendum.[168]

Benedictio areæ novæ ecclesiæ

858. Expleta homilia, Episcopus dimittit baculum et mitram, surgit ac benedicit aream novæ ecclesiæ, dicens, manibus extensis, orationem: *Deus, qui tua sanctitáte.* Postea, resumpta mitra et diaconis eum comitantibus, aqua benedicta aspergit aream novæ ecclesiæ, quod peragere potest vel stans in media area, vel processionaliter fundamenta circumiens. Quo in casu canitur antiphona *Lápides pretiósi* cum Psalmo 47, vel alius aptus cantus.[169]

Benedictio et impositio primarii lapidis

859. Peracta benedictione areæ, si imponendus est primarius lapis, hic benedicitur et imponitur, ut infra nn. 860-861 describitur; secus immediate fit conclusio ritus, ut infra nn. 862-863 indicatur.[170]

860. Episcopus cum diaconis assistentibus accedit ad locum ubi primarius lapis ponendus est et, deposita mitra, lapidem ipsum benedicit, dicens orationem: *Dómine, sancte Pater.* Et, pro opportunitate, lapidem aspergit aqua benedicta eumque turificat. Deinde resumit mitram.[171]

[166] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput I: Ordo imponendi primarium lapidem vel inchoandi opus ad ecclesiam ædificandam, nn. 18-21; cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, n. 816.

[167] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput I: Ordo imponendi primarium lapidem vel inchoandi opus ad ecclesiam ædificandam, n. 22.

[168] *Ibidem*, n. 23.

[169] Cf. *ibidem*, nn. 24-25.

[170] Cf. *ibidem*, n. 26.

[171] Cf. *ibidem*, n. 27.

861. His peractis, Episcopus primarium lapidem in fundamentis ponit silentio vel, pro opportunitate, dicens formulam: *In fide Iesu Christi* vel alia apta verba. Deinde faber lapidem cæmento conglutinat, dum fit, si casus fert, acclamatio: *Bene fundáta est* vel alius cantus aptus.[172]

Conclusio ritus

862. Cantu expleto, Episcopus mitram deponit. Tunc fit oratio universalis, ut in Pontificali indicatur vel similibus verbis. Sequitur oratio dominica, quam Episcopus introducit. Postea addit orationem: *Te magnificámus.*[173]

863. Denique, Episcopus, acceptis mitra et baculo, benedicit populum more consueto, infra nn. 1120-1121 indicato. Diaconus deinde populum dimittit, dicens: *Ite in pace,* omnesque respondent: *Deo grátias.*[174]

[172] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput I: Ordo imponendi primarium lapidem vel inchoandi opus ad ecclesiam ædificandam, nn. 28-29.
[173] Cf. *ibidem,* n. 30.
[174] Cf. *ibidem,* n. 31.

CAPUT IX

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ

PRÆNOTANDA

864. Ab antiquo nuncupatum est « ecclesia » etiam ædificium quo communitas christiana congregatur ut verbum Dei audiat, una oret, sacramenta frequentet, Eucharistiam celebret.

Ecclesia, cum erigitur ut ædificium unice et stabiliter ad Dei plebem congregandam et sacra peragenda destinatum, fit domus Dei et ideo sollemni ritu Domino dicari decet, secundum perantiquam Ecclesiæ consuetudinem. Si autem non dedicatur saltem benedicitur ritu qui infra nn. 954-971 describitur.[175] Quando ecclesia dedicatur, omnia quæ in ea inveniuntur, uti fons baptismalis, crux, imagines, organum, campanæ, stationes « Viæ crucis », ipso ritu dedicationis benedicta ac erecta habeantur, ita ut nova benedictione vel erectione non indigeant.

865. Omnis ecclesia dedicanda Titulum habere debet, qui sit vel Ss.ma Trinitas; Dominus noster Iesus Christus sub invocatione mysterii vitæ eius aut nominis in sacram liturgiam iam inducti; vel Spiritus Sanctus; vel b. Maria Virgo item sub aliqua appellatione in sacram liturgiam iam assumpta; vel sancti Angeli; vel demum Sanctus in Martyrologio Romano aut in eius Appendice rite probata inscriptus, non vero Beatus sine Apostolicæ Sedis indulto.

Ecclesiæ Titulus unus tantum sit, nisi agatur de Sanctis qui una simul in Calendario inscripti sunt.[176]

866. Liturgiæ Romanæ traditio Martyrum aliorumque Sanctorum reliquias sub altari condendi, opportune servabitur.[177] Hæc tamen notentur:

a) Reliquiæ deponendæ eius sint magnitudinis ex qua intellegi possit humanorum corporum eas esse partes. Itaque vitandum est ne nimis exiguæ condantur reliquiæ unius vel complurium Sanctorum.

b) Maxima cum diligentia inspiciatur num reliquiæ deponendæ authenticæ sint. Præstat altare sine reliquiis dedicari quam dubiæ fidei reliquias sub eo deponi.

[175] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, nn. 1-2.
[176] *Ibidem*, n. 4.
[177] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 266.

c) Reliquiarum capsa neque super altare neque in altaris mensa est collocanda, sed attenta altaris forma, sub altaris mensa condenda.[178]

867. Ad Episcopum cui Ecclesiæ particularis cura commissa est, novas ecclesias in sua diœcesi ædificatas spectat Deo dicare.

Si vero ipse ritui præesse nequit, munus committet alii Episcopo, præsertim ei quem socium vel adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus nova ecclesia est ædificata; in adiunctis omnino peculiaribus, presbytero, cui speciale dabit mandatum.[179]

868. Ad novam ecclesiam dedicandam, eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica. Cum in hoc ritu sensus dedicationis omnia pervadat, dedicatio novæ ecclesiæ peragi nequit diebus quibus mysterium quod eo die commemoratur prætermitti nullatenus decet: in Triduo paschali, in Nativitate Domini, in Epiphania, in Ascensione, in dominica Pentecostes, in feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadæ sanctæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.[180]

869. Missæ celebratio ritui dedicationis ecclesiæ intime inhæret; quare, cum ecclesia dedicatur, omissis textibus liturgiæ diei, cum pro liturgia verbi tum pro liturgia eucharistica sumuntur textus proprii.

Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris qui ei sociantur in ritibus dedicationis explendis et cum illis quibus traditum est munus regendæ parœciæ vel communitatis pro qua ecclesia est ædificata.[181]

870. Celebratur Officium de Dedicatione ecclesiæ, quod incipit a I Vesperis. Ubi peragitur ritus depositionis reliquiarum, valde expedit Vigiliam ad reliquias Martyris vel alius Sancti, quæ sub altari deponendæ sunt, celebrari: quod optime peragitur Officium lectionis, ex Communi vel ex Proprio convenienti sumptum, celebrando. Ad participationem autem populi fovendam, Vigilia, servatis iis quæ in Institutione generali Liturgiæ Horarum statuuntur, opportune aptetur.[182]

[178] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 5.
[179] *Ibidem*, n. 6.
[180] *Ibidem*, n. 7.
[181] Cf. *ibidem*, nn. 8-9.
[182] Cf. *ibidem*, n. 10.

871. Ut fideles ritui dedicationis fructuose intersint, rector ecclesiæ dedicandæ aliique viri in re pastorali periti eos erudiant oportet de celebrationis vi atque virtute spiritali, ecclesiali, missionali.[183]

872. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant spectat:

a) modum introitus in ecclesiam peragendi statuere (cf. infra nn. 879-891);

b) modum novæ ecclesiæ Episcopo tradendæ definire (cf. infra nn. 883, 888, 891);

c) de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi decernere; qua in re bonum spiritale fidelium in primis est prospiciendum et ea quæ supra n. 866 præcipiuntur servanda.

Ad rectorem autem ecclesiæ, adiuvantibus cooperatoribus in actione pastorali, omnia statuere ac parare spectat quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinet.[184]

873. Ad ritum dedicationis ecclesiæ celebrandum, hæc parentur:

a) *In loco ubi fit statio:*
— Pontificale Romanum;
— crux in processione ferenda;
— si reliquiæ Sanctorum processionaliter deferendæ sunt, ea quæ n. 876 a) indicantur.

b) *In secretario aut in presbyterio aut in aula ecclesiæ dedicandæ* prout unaquæque res postulat:
— Missale Romanum, Lectionarium;
— vas aquæ benedicendæ cum aspersorio;
— vasa sancti chrismatis;
— mantilia ad extergendam mensam altaris;
— si casus fert, tobalea linea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;
— pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad abluendas manus Episcopi et presbyterorum qui parietes ecclesiæ unxerint;
— gremiale linteum;
— foculus ad urenda incensa vel aromata, vel grana incensi et candelæ subtiles super altare comburenda;
— turibula cum navicula incensi et cochleari;

[183] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 20.
[184] *Ibidem*, n. 19.

— calix sufficientis magnitudinis, corporale, purificatoria, manutergium;

— panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;

— crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quæ in processione introitus defertur prope altare collocetur;

— velum umerale, si sacellum Ss.mi Sacramenti inaugurandum est;

— tobalea, cerei, candelabra;

— parvus cereus ab Episcopo diacono tradendus;

— pro opportunitate, flores.[185]

874. Antiqua consuetudo collocandi cruces ex lapide vel ære vel ex alia apta materia confectas aut in ipsis parietibus ecclesiæ eas insculpendi, laudabiliter servabitur. Ideoque parentur duodecim vel quattuor cruces, secundum numerum unctionum et apte distribuantur in parietibus ecclesiæ, convenienti altitudine. Sub unaquaque cruce aptetur ansula, in qua infigatur parvum candelabrum cum candela accendenda.[186]

875. In Missa dedicationis ecclesiæ, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, dalmatica, casula, mitra, baculus pastoralis, pallium, si eo fruitur;

— pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;

— pro diaconis: albæ, stolæ et dalmaticæ;

— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.[187]

876. Si reliquiæ Sanctorum sub altari condendæ sunt, hæc parentur:

a) *In loco ubi fit statio:*

— capsa cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Si fit introitus simplex capsa apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;

— pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri, si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris casibus et, si præsto sunt, dalmaticæ. Si vero reliquiæ a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis casulæ parentur.

Reliquiæ tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis, superpelliceis super vestem talarem, vel aliis vestibus legitime probatis, indutis.

[185] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput: II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 21.
[186] *Ibidem*, n. 22.
[187] *Ibidem*, n. 23.

b) *In presbyterio:*

— parva mensa in qua deponetur capsa reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario:*

— maltha seu arenatum quo caveæ operculum claudatur. Adsit quoque faber cæmentarius, qui suo tempore sepulcrum reliquiarum claudat.[188]

877. Dedicationis ecclesiæ conficiantur acta in duobus exemplaribus, ab Episcopo, ecclesiæ rectore legatisque communitatis localis subsignanda, quorum unum in diœcesis, alterum in ecclesiæ dedicatæ tabulario servetur.

Ubi vero fit depositio reliquiarum, tertium actorum exemplar conficiatur, opportune in ipsa reliquiarum capsa condendum.

In actis mentio fiat anni, mensis, diei dedicationis ecclesiæ, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiæ necnon, si casus fert, nominum Martyrum vel Sanctorum, quorum reliquiæ sub altari condendæ sunt.

Præterea, convenienti loco ecclesiæ, ponatur inscriptio in qua fiat mentio diei, mensis, anni peractæ dedicationis, Tituli ecclesiæ necnon nominis Episcopi ritum celebrantis.[189]

878. Quo clarius emineant momentum et dignitas Ecclesiæ particularis, celebratio anniversaria dedicationis eius ecclesiæ cathedralis peragenda est, gradu sollemnitatis in ipsa ecclesia cathedrali, gradu autem festi in ceteris ecclesiis diœcesis, recurrente die quo dedicata est ecclesia. Si hic dies perpetuo impeditur, celebratio assignetur proximo diei libero.[190]

Dies anniversarius dedicationis ecclesiæ propriæ gradu sollemnitatis celebratur.[191]

INGRESSUS IN ECCLESIAM

879. Ingressus in ecclesiam dedicandam, secundum locorum et temporum adiuncta, fit uno ex tribus modis qui infra describuntur.[192]

[188] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 24.

[189] Cf. *ibidem*, n. 25.

[190] Cf. *ibidem*, n. 26; cf. Appendix II, I, 4 b et II, 8 b.

[191] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 27; cf. Appendix II, I, 4 b.

[192] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 28.

Primus modus: *Processio*

880. Porta ecclesiæ dicandæ clausa esse debet. Hora competenti populus congregatur in vicinam ecclesiam vel alium aptum locum ex quo incedat processio ad ecclesiam. Martyrum vel Sanctorum reliquiæ, si deponendæ sunt sub altari, in loco ubi populus congregatur, parantur.[193]

881. Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, accedunt ad locum ubi populus est congregatus.

Episcopus, depositis baculo et mitra, ad populum conversus dicit: *In nómine Patris.* Postea salutat populum, dicens: *Grátia et pax* vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alia apta verba. Deinde Episcopus populum alloquitur, dicens: *Exsultántes, fratres dilectíssimi* vel aliam monitionem huic similem faciens.[194]

882. Deinde Episcopus resumit mitram et baculum, et incipit processio ad ecclesiam dedicandam. Non adhibentur candelæ, præter eas quæ reliquias Sanctorum circumdant. Tus non uritur neque in processione neque in Missa ante ritum incensationis et illuminationis altaris et ecclesiæ (cf. infra nn. 905 ss.). Præcedit minister deferens crucem, sine cereis eam de more comitantibus; sequuntur primum ministri, deinde diaconi aut presbyteri cum reliquiis Sanctorum, ministris vel fidelibus cum facibus hinc et inde comitantibus, presbyteri concelebrantes, tum Episcopus duobus diaconis retro sequentibus, postea ministrantes ad librum et mitram denique fideles.[195]

Incedente processione, canitur Psalmus 121 cum antiphona: *In domum Dómini,* vel alius aptus cantus.[196]

883. Al limen ecclesiæ omnes sistunt. Legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœcesis fideles, largitores, architecti, opifices) ædificium Episcopo tradunt, ei offerentes, pro rerum et locorum adiunctis, vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est, et nomina eorum, qui ei præfuerunt necnon opificum indicata sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid nova ecclesia arte et peculiari forma exprimat. Deinde Episcopus hortatur presbyterum,

[193] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 29.
[194] Cf. *ibidem,* n. 30.
[195] Cf. *ibidem,* n. 31.
[196] Cf. *ibidem,* n. 32.

cui munus pastorale ecclesiæ commissum est, ut ecclesiæ portam aperiat.[197]

884. Porta reserata, Episcopus populum ad ecclesiam ineundam invitat, dicens: *Introíte portas Dómini* vel alia apta verba. Tunc, præcedente crucifero, Episcopus et omnes ingrediuntur ecclesiam. Intrante processione, canitur Psalmus 23 cum antiphona: *Elevámini* vel alius aptus cantus.[198]

885. Episcopus, omisso altaris osculo, ad cathedram pergit; concelebrantes, diaconi, ministri ad loca sibi in presbyterio assignata pergunt. Reliquiæ Sanctorum apto presbyterii loco inter faces ponuntur. Deinde benedicitur aqua, ritu qui infra nn. 892 ss. describitur.[199]

Secundus modus: *Introitus sollemnis*

886. Si processio fieri non potest vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad portam ecclesiæ dedicandæ, ubi reliquiæ Sanctorum, si casus fert, privatim collocatæ sunt.

Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti crucifero præcedente, accedunt ad portam ecclesiæ ubi populus est congregatus. Ut hic ritus rei veritatem reddat, expedit portam ecclesiæ clausam esse atque Episcopum, concelebrantes, diaconos aliosque ministros ad eam accedere ex loco externo. Si hoc fieri nequit, Episcopus cum iis qui eum comitantur, exit ex ipsa ecclesia, cuius porta aperta manet.[200]

887. Episcopus, depositis baculo et mitra, adstantes salutat, dicens: *Grátia et pax* vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alia apta verba. Deinde Episcopus populum alloquitur, dicens: *Exsultántes, fratres dilectíssimi* vel aliam monitionem huic similem faciens.[201]

888. Admonitione expleta, Episcopus mitram resumit et pro opportunitate canitur Psalmus 121 cum antiphona: *In domum Dómini*, vel alius aptus cantus. Tunc legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœcesis fideles, largitores, architecti, opifices) ædificium Episcopo tradunt, ei offerentes, pro rerum et locorum adiunctis, vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est, et nomina eorum, qui ei præfuerunt necnon opificum indicata

[197] Cf. Pontificale Romanum. Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 33.
[198] Cf. *ibidem*, n. 34.
[199] *Ibidem*, n. 35.
[200] Cf. *ibidem*, nn. 36-37.
[201] Cf. *ibidem*, n. 38.

sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid nova ecclesia arte et peculiari forma exprimat. Deinde Episcopus, si porta clausa est, hortatur presbyterum, cui munus pastorale ecclesiæ commissum est, ut ecclesiæ portam aperiat.[202]

889. Tunc Episcopus, recepto baculo, populum ad ineundam ecclesiam invitat, dicens: *Introíte portas Dómini,* vel alia apta verba. Et fit processio ad introitum, ut supra nn. 884-885 dictum est, atque omnes loca sua occupant. Reliquiæ Sanctorum apto presbyterii loco inter faces ponuntur. Deinde benedicitur aqua ritu, qui infra nn. 892 ss. describitur.[203]

Tertius modus: *Introitus simplex*

890. Si introitus sollemnis fieri non potest, fit introitus simplex. Populo congregato in ecclesia, Episcopus, presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

Reliquiæ Sanctorum, si sub altari deponendæ sunt, in ipsa processione introitus in presbyterium afferuntur, sive e secretario sive e sacello ubi iam inde a vigilia ad venerationem fidelium sunt expositæ. Iusta tamen de causa parari possunt ante ritus initium, apto presbyterii loco, facibus circum ardentibus.

Incedente processione canitur antiphona ad introitum: *Deus in loco sancto suo* vel: *In domum Dómini,* cum Psalmo 121 vel alius aptus cantus.[204]

891. Cum processio ad presbyterium pervenerit, reliquiæ Sanctorum apto loco deponuntur, facibus circum ardentibus. Presbyteri concelebrantes, diaconi, ministri locis sibi assignatis disponuntur; Episcopus autem, omisso altaris osculo, ad cathedram pergit. Deinde, depositis baculo et mitra, populum salutat, dicens: *Grátia et pax* vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alia apta verba.

Tunc legati eorum qui ecclesiæ ædificandæ operam dederunt (parœciæ aut diœcesis fideles, largitores, architecti, opifices) ædificium Episcopo tradunt, ei offerentes, pro rerum et locorum adiunctis, vel instrumenta iuridica possessionis ædificii vel claves vel formam ædis vel librum in quo « iter » operis descriptum est, et nomina eorum,

[202] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 40.
[203] Cf. *ibidem,* nn. 41-42.
[204] Cf. *ibidem,* nn. 43-45.

qui ei præfuerunt, necnon opificum indicata sunt. Unus e legatis Episcopum et communitatem breviter alloquitur, illustrans, si casus fert, quid nova ecclesia arte et peculiari forma exprimat.[205]

Benedictio aquæ et aspersio

892. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi atque ad parietes et altare novæ ecclesiæ abluenda. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat, dicens: *Hanc domum* vel alia similia verba. Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur: *Deus, per quem omnis creatúra.*[206]

893. Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum et parietes aspergit, per aulam ecclesiæ transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare. Interea cantatur antiphona: *Vidi aquam* vel, tempore Quadragesimæ: *Dum sanctificátus fúero* vel alius aptus cantus.[207]

894. Quibus peractis, Episcopus revertitur ad cathedram; et cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit: *Deus, misericordiárum Pater* Deinde cantatur hymnus: *Glória in excélsis Deo* et, ritu solito, Episcopus cantat vel dicit collectam Missæ.[208]

Liturgia verbi

895. Postea Episcopus sedet et accipit mitram. Item sedent omnes. Verbi Dei proclamatio hoc modo convenienter celebratur: duo lectores, quorum unus defert Lectionarium Missæ ex abaco sumpto, et psalmista ad Episcopum veniunt. Episcopus, stans cum mitra, accipit Lectionarium, ostendit populo et dicit: *Semper résonet.* Deinde Episcopus Lectionarium priori lectori tradit. Lectore et psalmista ad ambonem pergunt, afferentes Lectionarium, omnibus aspiciendum.[209]

896. Tres lectiones proferuntur, quarum prima semper est e capite 8 libri Nehemiæ quam sequitur Psalmus 18; secunda vero et Evangelium sumuntur e textibus qui in Lectionario pro Missa dedicationis ecclesiæ proponuntur. Ad Evangelium non portantur luminaria nec incensum.[210]

[205] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, nn. 46-47.
[206] Cf. *ibidem,* n. 48.
[207] Cf. *ibidem,* n. 49.
[208] Cf. *ibidem,* nn. 50-52.
[209] Cf. *ibidem,* n. 53.
[210] Cf. *ibidem,* n. 54.

897. Post Evangelium, Episcopus sedet et, acceptis de more mitra et baculo, homiliam habet, illustrans cum lectiones biblicas tum sensum ritus quo ædes Deo dicatur et Ecclesiæ fovetur incrementum.[211]

898. Expleta homilia, Episcopus deponit baculum et mitram, omnes surgunt et cantatur vel dicitur symbolum. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco litaniæ Sanctorum canantur.[212]

Prex dedicationis et unctiones

Supplicatio litanica

899. Expleto symbolo Episcopus populum ad orandum invitat monitione: *Orémus, dilectíssimi nobis* vel aliis similibus verbis.

Tunc canuntur litaniæ Sanctorum, omnibus respondentibus; quod diebus dominicis necnon tempore paschali fit omnibus stantibus; ceteris autem diebus flexibus genibus, quo in casu diaconus admonet: *Flectámus génua.*

In litaniis, apto loco, adduntur invocationes Titularis ecclesiæ, Patroni loci et, si casus fert, Sanctorum quorum reliquiæ deponendæ sunt. Addi quoque possunt aliæ petitiones, quæ peculiarem ritus naturam et fidelium condicionem respiciant.

Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, extensis manibus, dicit: *Supplicatiónes nostras.* Diaconus, si casus fert, admonet: *Leváte.* Et omnes surgunt. Episcopus mitram resumit.

Ubi reliquiæ Sanctorum non deponuntur, Episcopus statim dicit precem dedicationis, ut infra n. 901 indicatur.[213]

Depositio reliquiarum

900. Deinde, si Martyrum vel aliorum Sanctorum reliquiæ sub altari deponendæ sunt, Episcopus ad altare accedit. Diaconus vel presbyter reliquias Episcopo affert, qui sepulcro opportune parato eas condit. Interea canitur antiphona: *Sub altári Dei* vel: *Córpora Sanctórum* cum Psalmo 14 vel alius aptus cantus.

Interea faber cæmentarius sepulcrum claudit, Episcopus autem ad cathedram revertitur.[214]

Prex dedicationis

901. Omnibus peractis, Episcopus, stans sine mitra ad cathedram vel apud altare, manibus extensis, cantat vel elata voce dicit: *Deus, Ecclésiæ tuæ.*[215]

[211] Cf. *ibidem*, n. 55.
[212] *Ibidem*, n. 56.
[213] Cf. *ibidem*, nn. 57-60.
[214] Cf. *ibidem*, n. 61.
[215] Cf. *ibidem*, n. 62.

Unctio altaris et parietum ecclesiæ

902. Deinde Episcopus, deposita, si necesse est, casula et assumpto gremiali linteo, ad altare accedit cum diaconis et aliis ministris, ex quibus unus vas chrismatis fert, et ad unctionem altaris et parietum ecclesiæ procedit.

Si vero Episcopus in ungendis parietibus ecclesiæ aliquos presbyteros, qui cum ipso sacrum ritum concelebrant, sibi sociare voluerit, unctione altaris peracta, illis vasa sacri chrismatis tradit et cum ipsis ad unctiones peragendas procedit. Munus tamen ungendi parietes Episcopus solis presbyteris committere potest.[216]

903. Episcopus, stans ante altare, sine mitra, elata voce, dicit: *Altáre ac domum.* Deinde in medium altare eiusque quattuor angulos sacrum chrisma effundit, quo laudabiliter totam mensam linit.

Postea perungit parietes ecclesiæ sacro chrismate signans duodecim vel quattuor cruces apte distributas, duobus vel quattuor presbyteris pro opportunitate adiuvantibus. Si vero unctiones parietum presbyteris commiserit, illi, ubi Episcopus altare ungere expleverit, parietes ecclesiæ ungunt, sacro chrismate cruces signantes. Interea canitur antiphona *Ecce tabernáculum* vel *Templum Dómini* cum Psalmo 83 vel alius aptus cantus.[217]

904. Altaris et parietum ecclesiæ unctione peracta, Episcopus revertitur ad cathedram et sedet; ministri ad eum afferunt necessaria ut manus lavet. Deinde Episcopus deponit gremiale et assumit casulam. Presbyteri quoque post parietum unctionem manus lavant.[218]

Incensatio altaris et ecclesiæ

905. Post ritum unctionis, super altare ponitur foculus ad incensa vel aromata comburenda aut, si placet, fit super altare acervus incensi candelis mixti. Episcopus immittit et benedicit incensum in foculum aut, parvo cereo a ministro tradito, acervum incensi succendit, dicens: *Dirigátur, Dómine.*

Tunc Episcopus in aliqua turibula incensum immittit et benedicit atque altare incensat. Deinde revertitur ad cathedram, incensatur et sedet. Ministri autem, per aulam ecclesiæ transeuntes, populum et parietes incensant.

Interea canitur antiphona: *Stetit ángelus* vel: *Ascéndit fumus* cum Psalmo 137 vel alius aptus cantus.[219]

[216] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 63.
[217] Cf. *ibidem*, n. 64.
[218] *Ibidem*, n. 65.
[219] Cf. *ibidem*, nn. 66-68.

Illuminatio altaris et ecclesiæ

906. Incensatione peracta, nonnulli ministri mensam altaris mantilibus extergunt eamque, si casus fert, sternunt linteo impermeabili; deinde cooperiunt altare tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.[220]

907. Postea diaconus accedit ad Episcopum qui, stans, ei tradit parvum cereum accensum, elata voce dicens: *Lumen Christi*. Deinde Episcopus sedet. Diaconus accedit ad altare et cereos pro Eucharistiæ celebratione accendit. Tunc festiva fit illuminatio: omnes cerei, candelæ positæ ubi unctiones factæ sunt, ceteræque lampades ecclesiæ in signum gaudii accenduntur. Interea canitur antiphona: *Venit lumen tuum* aut, tempore Quadragesimæ: *Ierúsalem,* cum cantico Tobiæ, vel alius aptus cantus, in honorem præsertim Christi, mundi luminis.[221]

Liturgia eucharistica

908. Diaconi et ministri altare præparant more solito. Deinde nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona: *Dómine Deus* vel alius aptus cantus.

Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito; non incensantur tamen nec oblata nec altare.[222]

909. Dicitur Prex eucharistica I vel III cum præfatione propria, quæ ritui dedicationis ecclesiæ inhæret.

In Prece eucharistica I dicitur *Hanc ígitur* proprium; in Prece eucharistica III inseritur intercessio propria.

Et omnia fiunt de more, usque ad Communionem inclusive.[223]

Inauguratio sacelli Ss.mi Sacramenti

910. Inauguratio sacelli ubi Ss.ma Eucharistia servabitur, hoc modo convenienter fit. Post Communionem pyxis cum Ss.mo Sacramento super mensam altaris relinquitur; Episcopus cathedram petit, et

[220] *Ibidem,* n. 69.
[221] Cf. *ibidem,* nn. 70-71.
[222] Cf. *ibidem,* nn. 72-73.
[223] Cf. *ibidem,* nn. 75-78.

omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Deinde Episcopus dicit orationem post Communionem.[224]

911. Qua oratione dicta, Episcopus ad altare revertitur, incensum imponit et benedicit, atque genuflexus incensat Ss.mum Sacramentum. Postea, assumpto velo umerali, accipit pyxidem manibus eodem velo coopertis.

Tunc instruitur processio, qua Ss.mum Sacramentum per aulam ecclesiæ ad sacellum repositionis defertur. Præcedit crucifer, quem acolythi candelabra deferentes cum cereis accensis comitantur; sequuntur clerus, diaconi, presbyteri concelebrantes, minister tenens baculum Episcopi, duo turiferarii cum turibulis fumigantibus, Episcopus deferens Sacramentum, paulisper retro duo diaconi ei assistentes, deinde ministrantes ad librum et mitram. Omnes gestant candelas, atque circa Sacramentum intorticia deferuntur.

Incedente processione, cantatur antiphona: *Lauda, Ierúsalem* cum Psalmo 147, vel alius aptus cantus.[225]

912. Cum processio ad sacellum repositionis pervenerit, Episcopus pyxidem diacono tradit qui eam deponit super altari aut in tabernaculo, cuius porta aperta manet; et Episcopus genuflexus Ss.mum Sacramentum incensat. Denique, post congruum temporis spatium quo omnes silentio orant, diaconus pyxidem in tabernaculo recondit vel ipsius portam claudit; minister autem lampadam accendit, quæ ad Ss.mum Sacramentum perpetuo ardebit.[226]

913. Si sacellum ubi Ss.mum Sacramentum est repositum a fidelibus bene conspici potest, Episcopus statim Missæ benedictionem impertit. Sin autem, processio ad presbyterium breviore via revertitur et Episcopus benedictionem impertit sive ex altari sive e cathedra; et Missa concluditur ut infra, n. 915.[227]

914. Si sacellum Ss.mi Sacramenti non est inaugurandum, Communione fidelium peracta, Episcopus dicit orationem post Communionem, et Missa concluditur ut sequitur.[228]

Benedictio et dimissio

915. Ad benedictionem Episcopus utitur formula quæ in Pontificali proponitur.

Diaconus populum dimittit more consueto.

[224] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput II: Ordo dedicationis ecclesiæ, n. 79.
[225] Cf. *ibidem*, n. 80.
[226] Cf. *ibidem*, n. 81; cf. C.I.C. can. 940
[227] Cf. *ibidem*, n. 82.
[228] Cf. *ibidem*, n. 83.

CAPUT X

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ IN QUA IAM DE MORE SACRA CELEBRANTUR

916. Ad symbolorum vim et ritus sensum plene attingendum, novæ ecclesiæ inauguratio una cum eius dedicatione fiat oportet: quare, quantum fieri potest, caveatur ne in nova ecclesia Missa celebretur antequam ipsa dedicetur.

Cum tamen dedicantur ecclesiæ in quibus iam de more sacra mysteria celebrantur, Ordo qui nn. 864-915 proponitur est adhibendus.

Præterea in huiusmodi ecclesiis non sine causa distinguuntur quæ nuper sunt extructæ, quarum dedicationis ratio clarior patet, ab illis quæ iamdiu sunt ædificatæ. Ad has dedicandas requiritur:

— ut altare nondum sit dedicatum; nam consuetudine et iure liturgico recte prohibetur ne dedicatio ecclesiæ peragatur nisi altare dedicetur; dedicatio enim altaris pars est præcipua totius ritus;

— ut aliquid novum aut valde immutatum sit in æde, quod ad ædificium attinet (ex. gr., si ecclesia est funditus instaurata vel eius presbyterium instauratum est secundum normas supra nn. 48-51 traditas) aut ad eius statum iuridicum (ex. gr., si ecclesia ad gradum parœciæ est evecta).

917. Omnia quæ supra, nn. 864-878 indicantur ad hunc quoque Ordinem referuntur, nisi a rerum condicione quam hic Ordo respicit, aliena manifesto appareant vel aliter notetur.

Hic Ordo ab Ordine qui in capite IX describitur his rebus præcipue differt:

a) ritus aperiendi fores ecclesiæ (cf. supra n. 884 vel 889) omittitur, cum ecclesia iam fidelibus pateat; proinde introitus fit ad instar « introitus simplicis » (cf. supra nn. 890-891). Si vero agatur de dedicanda ecclesia quæ diu clausa fuerit et nunc denuo sacris aperiatur celebrationibus, ritus peragi potest, cum hoc in casu vim suam ac sensum servet:

b) ritus tradendi ecclesiam Episcopo (cf. supra nn. 883, 888, 891) pro rerum adiunctis, aut servandus aut omittendus aut ita aptandus est, ut ecclesiæ dedicandæ condicionem respiciat (ex. gr., convenienter servabitur in dedicatione ecclesiæ nuper ædificatæ; omittetur in dedicatione veteris ecclesiæ ubi in ædificii structura nihil sit immutatum; aptabitur in dedicatione veteris ecclesiæ funditus refectæ);

c) ritus aspergendi aqua benedicta parietes ecclesiæ (cf. supra nn. 892-894), cui lustralis indoles inest, omittitur;

d) quæ sunt peculiaria primæ verbi Dei proclamationis (cf. supra n. 896) omittuntur, ideoque liturgia verbi fit more consueto; loco capitis 8 libri Nehemiæ cum Psalmo 18 et suo responso (cf. supra n. 896), alia apta lectio seligitur.[229]

[229] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput III: Ordo dedicationis ecclesiæ in qua iam de more sacra celebrantur.

CAPUT XI

DE DEDICATIONE ALTARIS

PRÆNOTANDA

918. Altare, in quo sacrificium crucis sub signis sacramentalibus præsens efficitur, est etiam mensa Domini, ad quam participandam in Missa populus Dei convocatur; atque centrum gratiarum actionis quæ per Eucharistiam perficitur.[230]

919. Expedit in omni ecclesia altare fixum et dedicatum inesse; ceteris vero locis, sacris celebrationibus dicatis, altare fixum vel mobile.[231]

Iuxta traditum Ecclesiæ morem et altaris significationem, mensa altaris fixi sit lapidea, et quidem ex unico lapide naturali. Attamen etiam alia materia digna, solida et affabre effecta, de iudicio Conferentiarum Episcoporum, adhiberi potest.[232]

920. Usus deponendi sub altari dedicando reliquias Sanctorum etiam non Martyrum opportune servetur (cf. supra, n. 866).

921. Sua ipsius natura altare uni Deo dicatur, nam sacrificium eucharisticum uni Deo offertur. Hunc sensum dedicationis altaris, quem Ecclesia semper tenuit, S. Augustinus apte exprimit cum dicit: « nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituimus altaria ».[233]

Consuetudo tamen dicandi altaria Deo in honorem Sanctorum, sicubi viget, servari potest, dummodo clare fidelibus pateat altare Deo tantum dicari. In novis ecclesiis simulacra vel imagines Sanctorum supra altare ne collocentur.

Item ne deponantur super altaris mensam Sanctorum reliquiæ cum ad populi venerationem exhibentur.[234]

922. Cum vero altare fiat sacrum in primis Eucharistiæ celebratione, ad rerum veritatem servandam caveatur ne in novo altari Missa

[230] Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 259.
[231] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 6.
[232] Cf. *ibidem*, n. 9.
[233] Contra Faustum, XX, 21: PL 42, 384.
[234] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 10.

celebretur antequam ipsum dedicetur, ita ut Missa dedicationis sit quoque prima Eucharistia quæ super ipsum altare celebratur.[235]

923. Ad Episcopum, cui Ecclesiæ particularis cura commissa est, nova altaria in sua diœcesi erecta spectat Deo dicare; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo, præsertim ei quem socium et adiutorem habet in cura pastorali fidelium pro quibus novum altare est erectum; in adiunctis omnino peculiaribus presbyterum, cui speciale dabit mandatum.[236]

924. Ad novum altare dedicandum, eligatur dies quo fideles frequentes accurrere possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant. Ritus dedicationis altaris celebrari tamen nequit in Triduo paschali, in feria IV Cinerum, in feriis Hebdomadæ Sanctæ et in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.[237]

925. Eucharistiæ celebratio ritui dedicationis altaris intime inhæret. Dicitur Missa In dedicatione altaris; attamen in Nativitate Domini, in Epiphania, in Ascensione, in Dominica Pentecostes, necnon in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, sumitur Missa diei, præter orationem super oblata et præfationem, quæ ipsi ritui intime nectuntur.[238]

926. Episcopum decet Missam concelebrare cum presbyteris adstantibus maximeque cum illis quibus traditum est munus regendæ parœciæ vel communitatis pro qua altare est erectum.[239]

927. Ad Episcopum et ad eos qui ritum celebrandum curant de opportunitate reliquias Sanctorum deponendi statuere spectat; qua in re, iis quæ supra n. 866 dicta sunt servatis, bonum spiritale fidelium et rectum liturgiæ sensum præ omnibus respicienda sunt.[240]

928. Fideles non solum tempestive certiores fiant de novi altaris dedicatione, sed opportune præparentur ut actuose ritui intersint.

Ideo, quid singuli ritus significent atque quomodo peragantur erudiantur oportet. Ita fideles recto ac debito erga altare imbuentur amore.[241]

Ad rectorem autem ecclesiæ in qua altare dedicatur, adiuvantibus cooperatoribus in actione pastorali, omnia statuere ac parare spectat

[235] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 13.
[236] *Ibidem*, n. 12.
[237] *Ibidem*, n. 14.
[238] *Ibidem*, n. 15.
[239] *Ibidem*, n. 16.
[240] Cf. *ibidem*, n. 25.
[241] Cf. *ibidem*, n. 26.

quod ad lectiones, cantus necnon subsidia pastoralia cum ad fovendam fructuosam participationem populi tum ad decorem celebrationis promovendum pertinet.[242]

929. Ad ritum dedicationis altaris celebrandum, hæc parentur:

a) Missale Romanum, Lectionarium, Pontificale Romanum;

b) crux et liber Evangeliorum in processione ferenda;

c) vas aquæ benedicendæ cum aspersorio;

d) vas sancti chrismatis;

e) mantilia ad extergendam mensam altaris;

f) si casus fert, tobalea lintea cerata vel linteum impermeabile, ad mensuram altaris;

g) pelvis et urceus cum aqua, mantilia et omnia necessaria ad abluendas manus Episcopi;

h) gremiale linteum;

i) foculus ad urenda incensa vel aromata; vel grana incensi et candelæ subtiles super altare comburenda;

j) turibulum cum navicula incensi et cochleari;

k) calix sufficientis magnitudinis, corporale, purificatoria, manutergium;

l) panis, vinum, aqua ad Missam celebrandam;

m) crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita, vel crux quæ in processione introitus defertur prope altare collocetur;

n) tobalea, cerei, candelabra;

o) pro opportunitate, flores.[243]

930. In Missa dedicationis altaris, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

a) pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, casula, mitra, baculus pastoralis, pallium, si eo utitur;

b) pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;

c) pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;

d) pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.[244]

[242] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 25.
[243] *Ibidem*, n. 27.
[244] *Ibidem*, n. 28.

931. Si reliquiæ Sanctorum sub altari condendæ sunt, hæc parentur:

a) *In loco ex quo incipit processio:*

— capsa cum reliquiis, floribus et facibus circumdata. Pro opportunitate autem capsa apto presbyterii loco, ante ritus initium, collocari potest;

— pro diaconis, qui reliquias deponendas portabunt: alba, stola coloris rubri si de reliquiis Martyris agitur, vel coloris albi in ceteris casibus, et, si præsto sunt, dalmaticæ. Si vero reliquiæ a presbyteris deferuntur, loco dalmaticarum, pro ipsis casulæ præparentur.

Reliquiæ tamen deferri possunt etiam ab aliis ministris, albis vel superpelliceis super vestem talarem, vel aliis vestibus legitime probatis indutis.

b) *In presbyterio:*

— parva mensa in qua deponetur capsa reliquiarum dum prima pars ritus dedicationis peragitur.

c) *In secretario:*

— maltha seu arenatum quo caveæ operculum claudetur; adsit quoque faber cæmentarius, qui suo tempore claudat sepulcrum reliquiarum.[245]

932. Convenienter servabitur mos includendi in capsa reliquiarum pergamenam in qua facta sit mentio diei, mensis, anni dedicationis altaris, nominis Episcopi ritum celebrantis, Tituli ecclesiæ necnon nominum Martyrum vel aliorum Sanctorum quorum reliquiæ sub altari condendæ sunt.[246]

Conficiantur autem acta dedicationis in duplici exemplari, quorum alterum in diœcesis, alterum in ecclesiæ tabulario servetur, ab Episcopo, ecclesiæ rectore legatisque communitatis localis subsignanda.[247]

Ingressus in ecclesiam

933. Populo congregato, Episcopus, presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.[248]

934. Reliquiæ Sanctorum, si sub altari deponendæ sunt, in ipsa processione introitus ad presbyterium afferuntur sive e secretario sive

[245] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 29.

[246] Cf. *ibidem*, n. 30.

[247] Cf. supra, n. 877.

[248] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 31.

e sacello ubi iam inde a vigilia ad venerationem fidelium sunt expositæ. Iusta tamen de causa, parari possunt ante ritus initium apto presbyterii loco, facibus circum ardentibus.[249]

935. Incedente processione, canitur antiphona ad introitum: *Protéctor noster*, vel *Introíbo* cum Psalmo 42, vel alius aptus cantus.[250]

936. Cum processio ad presbyterium pervenerit, reliquiæ Sanctorum apto loco deponuntur, facibus circum ardentibus; presbyteri concelebrantes, diaconi, ministri locis sibi assignatis disponuntur; Episcopus autem, omisso altaris osculo, ad cathedram pergit. Deinde, depositis baculo et mitra, populum salutat, dicens: *Grátia et pax* vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus autem respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alia apta verba.[251]

BENEDICTIO AQUÆ ET ASPERSIO

937. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi atque ad altare abluendum. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat dicens monitionem: *Exsultántes, fratres caríssimi* vel aliam huic similem. Omnès per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus dicit orationem: *Deus, per quem*.[252]

938. Invocatione super aquam expleta, Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum aspergit per aulam ecclesiæ transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare.

Interea cantatur antiphona: *Vidi aquam* vel, tempore Quadragesimæ: *Dum sanctificátus*, vel alius aptus cantus.[253]

939. Post aspersionem Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit: *Deus, misericordiárum Pater*.

Deinde cantatur hymnus *Glória in excélsis*, nisi occurrat dominica Adventus aut Quadragesimæ.

Finito autem hymno, Episcopus, stans, cantat vel dicit, de more, collectam Missæ.[254]

[249] *Ibidem*, n. 32.
[250] Cf. *ibidem*, n. 33.
[251] Cf. *ibidem*, n. 34.
[252] Cf. *ibidem*, n. 35.
[253] Cf. *ibidem*, n. 36.
[254] Cf. *ibidem*, nn. 37-39.

Liturgia verbi

940. In liturgia verbi omnia fiunt more solito. Lectiones et Evangelium sumuntur, secundum rubricas, vel e textibus qui in Lectionario pro ritu dedicationis altaris proponuntur vel e Missa diei.[255]

941. Lecto Evangelio, Episcopus de more sedens cum mitra et baculo, homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus.[256]

942. Symbolum semper dicitur. Oratio autem universalis omittitur, cum eius loco litaniæ Sanctorum canantur.[257]

Prex dedicationis et unctiones

Supplicatio litanica

943. Expleto symbolo, Episcopus populum ad orandum invitat dicens: *Ascéndant, fratres dilectíssimi* vel aliam monitionem huic similem.[258]

Tunc canuntur litaniæ Sanctorum, omnibus respondentibus; quod, diebus dominicis necnon tempore paschali, fit omnibus stantibus, ceteris autem diebus, flexis genibus, quo in casu diaconus admonet: *Flectámus genua.*[259]

In litaniis, apto loco, adduntur invocationes Titularis ecclesiæ, Patroni loci et, si casus fert, Sanctorum quorum reliquiæ deponendæ sunt. Addi quoque possunt aliæ petitiones, quæ peculiarem ritus naturam et fidelium condicionem respiciant.[260]

Litaniarum cantu expleto, Episcopus stans, extensis manibus, dicit orationem: *Supplicatiónes nostras.* Deinde diaconus, si casus fert, admonet: *Leváte.* Et omnes surgunt. Episcopus mitram resumit, ad depositionem reliquiarum peragendam.

Ubi reliquiæ Sanctorum non deponuntur, Episcopus statim dicit precem dedicationis, ut infra n. 945 indicatur.[261]

Depositio reliquiarum

944. Deinde, si Martyrum vel aliorum Sanctorum reliquiæ sub altari deponendæ sunt, Episcopus ad altare accedit. Diaconus vel pre-

[255] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 40; cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 817-822.

[256] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 41.

[257] *Ibidem*, n. 42.

[258] Cf. *ibidem*, n. 43.

[259] *Ibidem*, n. 44.

[260] Cf. *ibidem*, n. 45.

[261] Cf. *ibidem*, n. 46.

sbyter reliquias Episcopo affert, qui sepulcro opportune parato eas condit. Interea canitur antiphona: *Sub altáre Dei* vel: *Córpora Sanctórum* cum Psalmo 14, vel alius aptus cantus.

Interea faber cæmentarius sepulcrum claudit, Episcopus autem ad cathedram revertitur.[262]

Prex dedicationis

945. Quibus peractis, Episcopus, stans sine mitra ad altare, manibus extensis, cantat vel dicit: *Te magnificámus.*[263]

Unctio altaris

946. Deinde Episcopus, deposita, si necesse est, casula et assumpto gremiali linteo, ad altare accedit cum diacono vel alio ministro, qui vas sacri chrismatis fert. Episcopus, stans ante altare, elata voce dicit: *Sanctíficet Dóminus.* Deinde in medium altare eiusque quattuor angulos sacrum chrisma effundit, quo laudabiliter totam mensam linit.[264]

Dum fit unctio, extra tempus paschale canitur antiphona: *Unxit* cum Psalmo 44, tempore autem paschali antiphona: *Lápidem* cum Psalmo 117, vel alius aptus cantus.[265]

Unctione altaris peracta, Episcopus, ad cathedram reversus, sedet, manus lavat et deponit gremiale.[266]

Incensatio altaris

947. Post ritum unctionis, super àltare ponitur foculus ad incensa vel aromata comburenda aut, si placet, fit super altare acervus incensi candelis mixti. Episcopus immittit incensum in foculum aut parvo cereo a ministro tradito acervum incensi succendit, dicens: *Dirigátur, Dómine.*

Tunc Episcopus incensum in turibulum immittit et benedicit atque incensat altare, deinde revertitur ad cathedram, incensatur et sedet; minister populum incensat. Interea canitur antiphona: *Stetit ángelus* vel: *Ascéndit fumus* cum Psalmo 137 vel alius aptus cantus.[267]

[262] Cf. *ibidem*, n. 47.
[263] Cf. *ibidem*, n. 48.
[264] Cf. *ibidem*, n. 49.
[265] Cf. *ibidem*, nn. 50-51.
[266] *Ibidem*, n. 52.
[267] Cf. *ibidem*, n. 53.

Velatio et illuminatio altaris

948. Incensatione peracta, nonnulli ministri mensam altaris mantilibus extergunt eamque, si casus fert, sternunt linteo impermeabili; deinde cooperiunt altare tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.[268]

949. Postea diaconus accedit ad Episcopum qui, stans, ei tradit parvum cereum accensum, elata voce dicens: *Lumen Christi.* Deinde Episcopus sedet. Diaconus accedit ad altare et cereos pro Eucharistiæ celebratione accendit.[269]

950. Tunc festiva fit illuminatio: omnes lampades circum altare in signum gaudii accenduntur. Interea canitur antiphona: *Apud te, Dómine* vel alius aptus cantus, in honorem præsertim Christi, mundi luminis.[270]

LITURGIA EUCHARISTICA

951. Diaconi et ministri altare præparant more solito. Deinde nonnulli fideles afferunt panem, vinum et aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune cantatur antiphona: *Si offers munus tuum* vel: *Sanctificávit Móyses* vel alius aptus cantus.[271]

Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur, Missa prosequitur more solito: non incensantur tamen nec oblata nec altare.[272]

952. Oratio super oblata *Descéndat quǽsumus, Dómine* et præfatio propria quæ etiam in Pontificali notantur semper dicuntur, utpote quæ ritui dedicationis altaris inhærent.[273]

Dicitur Prex eucharistica I vel III.

953. In fine Missæ, Episcopus benedictionem impertit, formulam adhibens in Pontificali propositam. Deinde diaconus populum dimittit more consueto.[274]

[268] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput IV: Ordo dedicationis altaris, n. 54.
[269] Cf. *ibidem*, n. 55.
[270] Cf. *ibidem*, n. 56.
[271] Cf. *ibidem*, n. 57.
[272] Cf. *ibidem*, n. 58.
[273] Cf. *ibidem*, nn. 59-60.
[274] Cf. *ibidem*, nn. 63-64.

CAPUT XII

DE BENEDICTIONE ECCLESIÆ

PRÆNOTANDA

954. Ædes sacras seu ecclesias, quæ modo stabili ad divina celebranda mysteria destinantur, expedit Deo dicari secundum Ordinem dedicationis ecclesiæ, qui rituum ac symbolorum vi excellit.

Si tamen non dedicantur, saltem benedicuntur ritu qui infra describitur.

Oratoria, sacella vel ædes sacras, quæ ob peculiaria adiuncta ad tempus tantum divino cultui destinantur, benedici convenit secundum Ordinem qui infra describitur.[275] Quando ecclesiæ vel oratoria vel sacella benedicuntur, omnia quæ in iis inveniuntur, uti crux, imagines, organum, campanæ, stationes « Viæ crucis », ipso ritu benedictionis benedicta ac erecta habeantur, ita ut nova benedictione vel erectione non indigeant.

955. Quod attinet ad eorum ordinationem liturgicam, ad Tituli electionem, ad præparationem fidelium ea serventur, aptatis aptandis, quæ supra, nn. 864-871 et 877 de ecclesiæ dedicatione dicta sunt.[276]

956. Ecclesia vel oratorium benedicitur ab Episcopo diœcesis vel a presbytero ab eo delegato. Ecclesia vel oratorium benedici potest quolibet die, præterquam Triduo paschali; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentes accurrere possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadent.[277]

957. Diebus qui in tabula dierum liturgicorum, nn. 1-4, inscribuntur,[278] dicitur Missa diei; ceteris autem diebus dici potest vel Missa diei vel Missa Tituli ecclesiæ sive oratorii.

958. Ad ritum benedictionis ecclesiæ vel oratorii ea omnia parentur quæ pro Missæ celebratione requiruntur. Altare autem, etiamsi forte sit benedictum vel dicatum, nudum maneat usque ad initium liturgiæ eucharisticæ. Præterea apto presbyterii loco parentur:

a) vas aquam continens et aspersorium necnon turibulum cum navicula incensi et cocleari;

b) Pontificale Romanum;

[275] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput V: Ordo benedictionis ecclesiæ, n. 1.
[276] Cf. *ibidem*, n. 2.
[277] Cf. *ibidem*, nn. 2-3.
[278] Cf. infra, Appendix II.

c) crux altaris, nisi in presbyterio crux iam sit posita vel crux, quæ in processione introitus defertur, prope altare collocetur;

d) tobalea, cerei, candelabra et, pro opportunitate, flores.[279]

959. Si vero, una cum benedictione ecclesiæ, altare dedicandum sit, ea omnia parentur quæ supra n. 929 describuntur, necnon n. 931, si reliquiæ Sanctorum sub altari deponendæ sint.[280]

960. In Missa benedictionis ecclesiæ, sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

a) pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, casula, mitra, baculus pastoralis;

b) pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;

c) pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;

d) pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.[281]

Descriptio ritus

961. Populo congregato, dum fit cantus ad introitum, Episcopus et presbyteri concelebrantes, diaconi et ministri, sua quisque veste induti, crucifero præcedente, e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt.

Cum processio ad presbyterium pervenerit, Episcopus, omisso osculo altaris eiusque incensatione, statim cathedram petit; ceteri locis sibi assignatis se disponunt.[282]

962. Cantu expleto, Episcopus, baculo et mitra depositis, populum salutat, dicens: *Grátia et pax* vel alia apta verba e sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alia apta verba.[283]

963. Deinde Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in signum pænitentiæ et in memoriam baptismi atque ad parietes novæ ecclesiæ vel oratorii abluendos. Ministri ad Episcopum stantem ad cathedram ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat dicens: *Fratres caríssimi* vel aliam monitionem huic similem. Omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur oratione: *Deus, per quem.*[284]

279 Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput V: Ordo benedictionis ecclesiæ, n. 5.
280 *Ibidem*, n. 6.
281 Cf. *ibidem*, n. 7.
282 *Ibidem*, n. 8.
283 Cf. *ibidem*, n. 9.
284 Cf. *ibidem*, nn. 10-11.

964. Invocatione super aquam expleta, Episcopus, diaconis comitantibus, aqua benedicta populum et parietes aspergit, per aulam ecclesiæ transiens et, ad presbyterium reversus, aspergit altare, nisi forte iam benedictum vel iam dicatum sit. Interea canitur antiphona: *Vidi aquam* aut, tempore Quadragesimæ: *Dum sanctificátus* vel alius aptus cantus.

Post aspersionem, Episcopus ad cathedram revertitur et, cantu expleto, stans, manibus iunctis, dicit: *Deus, misericordiárum Pater.*[285]

965. Deinde, præterquam in Missa dominicæ vel feriæ temporis Adventus et Quadragesimæ, canitur hymnus *Glória in excélsis.* Deinde Episcopus dicit collectam Missæ.[286]

966. Missa prosequitur more consueto. Tamen:

— lectiones sumuntur, iuxta rubricas vel e liturgia dei vel e textibus qui in Lectionario pro ritu dedicationis ecclesiæ proponuntur;

— ad Evangelium non portantur luminaria nec incensum;

— post Evangelium Episcopus homiliam habet in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum ritus;

— symbolum dicitur secundum rubricas; fit oratio universalis more consueto.[287]

967. Deinde Episcopus, si altare est benedicendum, ad illud accedit. Interea canitur antiphona: *Sicut novéllæ olivárum* vel alius aptus cantus.

Cantu expleto, Episcopus, stans sine mitra, fideles alloquitur, dicens: *Commúnitas nostra* vel aliam monitionem huic similem. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, cantat vel elata voce dicit orationem: *Benedíctus es, Deus.*

Tunc Episcopus immittit incensum in aliqua turibula, illud benedicit atque altare incensat. Deinde, accepta mitra, revertitur ad cathedram, incensatur et sedet. Ministri autem per ecclesiam transeuntes populum et aulam ecclesiæ incensant.[288]

968. Si forte altare est dedicandum, dicto symbolo et omissa oratione universali, ea serventur quæ supra nn. 943-950 dicta sunt.

Si autem altare non est benedicendum aut dedicandum (ex. gr.,

[285] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput V: Ordo benedictionis ecclesiæ, nn. 12-13.

[286] Cf. *ibidem*, nn. 14-15.

[287] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, n. 816. Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput V: Ordo benedictionis ecclesiæ, nn. 16-19.

[288] Cf. *ibidem*, nn. 20-21.

quia in novam ecclesiam translatum est altare iam benedictum vel dicatum), post orationem universalem Missa prosequitur ut infra n. 969 indicatur.[289]

969. Expleta oratione universali, Episcopus sedet et accipit mitram. Ministri autem altare cooperiunt tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

Altari parato, nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus accipit dona ad cathedram. Dum dona afferuntur, opportune canitur antiphona: *Si offers* vel *Sanctificávit Móyses* vel alius aptus cantus.[290]

970. Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito; non incensantur tamen nec oblata nec altare. Si vero altare in hac celebratione benedicendum vel dedicandum non fuerat, incensatio fit more solito.[291]

Si sacellum Ss.mi Sacramenti est inaugurandum, expleta fidelium Communione, omnia fiunt ut supra nn. 910-913 descripta sunt.[292]

971. Ad benedictionem Episcopus utitur formula quæ in Pontificali proponitur.

Diaconus populum dimittit more consueto.[293]

[289] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput V: Ordo benedictionis ecclesiæ, n. 22.
[290] Cf. *ibidem*, nn. 23-24.
[291] *Ibidem*, n. 25.
[292] *Ibidem*, n. 26.
[293] Cf. *ibidem*, nn. 27-28.

CAPUT XIII

DE BENEDICTIONE ALTARIS

PRÆNOTANDA

972. Altare mobile habetur quando altare cum pavimento non cohæret, ita ut transferri possit. Cum sit mensa unice stabiliterque convivio seu sacrificio eucharistico destinata, ipsi religiosum debetur obsequium. Præstat igitur altare mobile, antequam in usum assumatur, si non dedicatur, saltem benedicere.[294]

973. Altare mobile ex quibuslibet materiis solidis, usui liturgico, iuxta diversarum regionum traditiones et mores convenientibus, exstrui potest.[295]

974. In altari mobili erigendo ea serventur, aptatis aptandis, quæ in libris liturgicis statuuntur; non licet tamen Sanctorum reliquias in eius basi condere.[296]

975. Altare mobile congruenter benedicitur ab Episcopo diœcesis vel a presbytero ecclesiæ rectore.[297]

976. Altare mobile benedici potest quolibet die, præterquam feria VI in Passione Domini et Sabbato Sancto; potissimum vero eligatur dies quo fideles frequentiores convenire possint, præsertim dies dominica, nisi rationes pastorales aliud suadeant.[298]

977. In ritu dicitur Missa diei. In liturgia autem verbi, præterquam diebus qui sub nn. 1-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, legi possunt una vel duæ lectiones ex iis quæ in Lectionario pro dedicatione altaris proponuntur.[299]

978. Usque ad initium liturgiæ eucharisticæ altare omnino nudum sit. Proinde crux, si casus fert, tobalea, cerei aliaque ad illud parandum necessaria opportuno presbyterii loco disponantur.[300]

[294] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VI: Ordo benedictionis altaris, n. 1; cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, nn. 261, 265.
[295] Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 264.
[296] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VI: Ordo benedictionis altaris, n. 3.
[297] *Ibidem*, n. 4.
[298] *Ibidem*, n. 5.
[299] Cf. infra Appendix II; Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 817-822.
[300] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VI: Ordo benedictionis altaris, n. 7.

DESCRIPTIO RITUS

979. In Missa omnia fiunt more consueto. Expleta autem oratione universali, Episcopus accedit ad altare benedicendum. Interea canitur antiphona. *Sicut novéllæ olivárum* vel alius aptus cantus.[301]

980. Postea Episcopus, stans sine mitra, fideles alloquitur, dicens: *Commúnitas nostra* vel aliam monitionem huic similem. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, cantat vel elata voce dicit orationem *Benedíctus es, Deus*.[302]

Deinde Episcopus aspergit altare aqua benedicta et illud incensat. Postea revertitur ad cathedram, accipit mitram, incensatur et sedet. Minister incensat populum.[303]

981. Ministri altare cooperiunt tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.[304]

982. Altari parato, nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus dona accipit ad cathedram. Interea opportune canitur antiphona: *Si offers* vel alius aptus cantus.[305]

983. Cum omnia parata sunt, Episcopus ad altare accedit et, deposita mitra, illud osculatur. Missa prosequitur more solito; non incensantur tamen nec oblata nec altare.[306]

[301] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VI: Ordo benedictionis altaris, n. 8.
[302] Cf. *ibidem*, n. 9.
[303] *Ibidem*, n. 10.
[304] *Ibidem*, n. 11.
[305] Cf. *ibidem*, n. 12.
[306] *Ibidem*, n. 13.

CAPUT XIV

DE BENEDICTIONE CALICIS ET PATENÆ

PRÆNOTANDA [307]

984. Calix et patena, quibus vinum et panis offeruntur, sacrantur et sumuntur,[308] cum unice et stabiliter ad Eucharistiam celebrandam destinentur, fiunt « vasa sacra ».[309]

985. Voluntas autem hæc vasa ad Eucharistiam celebrandam destinandi manifestatur coram fidelium communitate, peculiari benedictione, laudabiliter intra Missam impertienda.[310]

986. Quilibet sacerdos calicem et patenam benedicere potest, dummodo secundum normas, quæ in Institutione generali Missalis Romani indicantur, confecta sint.[311]

987. Si calix tantum aut patena benedicenda est, textus Pontificalis opportune aptentur.[312]

DESCRIPTIO RITUS

988. Dicitur Missa diei. In liturgia autem verbi, præterquam diebus qui sub nn. 1-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur,[313] legi possunt una vel duæ lectiones ex iis quæ in Lectionario proponuntur.[314]

989. Post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua Episcopus cum lectiones biblicas tum sensum benedictionis calicis et patenæ, quæ in celebratione eucharistica adhibentur, illustrat.[315]

990. Oratione universali expleta, ministri vel legati communitatis calicem et patenam offerentis, ea super altare collocant. Episcopus

[307] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VII: Ordo benedictionis calicis et patenæ.
[308] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 289.
[309] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VII: Ordo benedictionis calicis et patenæ, n. 1.
[310] *Ibidem*, n. 2.
[311] *Ibidem*, n. 3.
[312] Cf. *ibidem*, n. 4.
[313] Cf. infra, Appendix II.
[314] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VII: Ordo benedictionis calicis et patenæ, nn. 6-8; Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 823-826.
[315] Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiæ et altaris, caput VII: Ordo benedictionis calicis et patenæ, n. 9.

cum diaconis assistentibus ad altare se confert, dum cantatur antiphona: *Cálicem Dómini* vel alius aptus cantus.[316]

991. Cantu expleto, Episcopus dicit: *Orémus.* Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus prosequitur oratione: *In altári tuo.*[317]

992. Postea ministri corporale super altare collocant. Nonnulli fideles afferunt panem, vinum, aquam ad sacrificium dominicum celebrandum. Episcopus in patena et calice modo benedictis oblata deponit et offert more consueto.

Interea opportune canitur antiphona: *Cálicem salutáris* cum Psalmo 115 vel alius aptus cantus.[318]

993. Dicta oratione: *In spíritu humilitátis,* opportune incensantur dona et altare. Missa deinde prosequitur more consueto.[319]

994. Attentis celebrationis adiunctis, convenienter fideles Sanguinem Christi accipiunt e calice modo benedicto.[320]

[316] Cf. Pontificale Romanum, Ordo dedicationes ecclesiæ et altaris, caput VII: Ordo benedictionis calicis et patenæ, n. 10.
[317] Cf. *ibidem,* n. 11.
[318] Cf. *ibidem,* n. 12.
[319] Cf. *ibidem,* n. 13.
[320] Cf. *ibidem,* n. 14.

CAPUT XV

DE BENEDICTIONE NOVI FONTIS BAPTISMALIS

PRÆNOTANDA

995. Baptisterium, seu locus ubi fons baptismalis scaturit vel positus est, sit sacramento Baptismi reservatum et prorsus dignum, in quo ex aqua et Spiritu Sancto renascuntur christiani. Sive sit in aliquo sacello intra vel extra ecclesiam situm, sive in aliqua parte ecclesiæ in conspectu fidelium, ita in posterum instructum sit oportet, ut multorum participationi congruat.[321]

Fons baptisterii, vel vas in quo, pro opportunitate, præparatur aqua ad celebrationem in presbyterio agendam, munditie splendeat atque decore.[322]

996. Ritus convenienter peragitur ab Episcopo diœcesis vel a presbytero parocho vel rectore ecclesiæ.

997. Si hæc benedictio coniungitur cum Baptismi celebratione, in Vigilia paschali vel extra eam observantur ea quæ supra nn. 356-367, 427, 430, 440-448 descripta sunt. Attamen loco consuetæ formulæ pro benedictione aquæ Episcopus, manibus extensis et ad fontem conversus, dicit orationem: *Deus, mundi creátor.* Fonte benedicto prosequitur celebratio Baptismi more solito.[323]

998. Benedictio tamen fontis baptismalis absque Baptismi celebratione quolibet die et hora peragi potest, præterquam feria IV Cinerum, Hebdomada sancta et in Commemoratione omnium fidelium defunctorum. Dies potissimum eligatur, quo fideles frequentiores convenire possunt.[324]

999. Ad ritum peragendum hæc parentur:

a) Rituale Romanum, et Lectionarium;

b) turibulum et navicula cum incenso;

c) vas in quod aqua ex fonte noviter benedictio infundetur et aspersorium;

[321] Cf. Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, De Initiatione christiana, *Prænotanda generalia*, n. 25.

[322] *Ibidem*, n. 19.

[323] Missale Romanum, Vigilia paschalis, Benedictio aquæ; vel Rituale Romanum, Ordo Baptismi parvulorum, n. 54; vel Ordo Initiationis christianæ adultorum, n. 215.

[324] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXV: Ordo benedictionis novi fontis baptismalis, *Prænotanda*, n. 840.

d) cereus paschalis, candelabrum ad illum collocandum in medio presbyterio vel prope fontem;

e) sedes pro Episcopo et ceteris ministris;

f) sacræ vestes coloris albi vel festivi:

— pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, pluviale (vel casula, si Missam quoque celebret), mitra, baculus pastoralis;

— pro presbyteris: vestes pro Missa celebranda;

— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;

— pro ceteris ministris: albæ, vel aliæ vestes legitime probatæ.

Ritus initiales

1000. Populo congregato, instruitur processio qua, e secretario per aulam ecclesiæ proceditur ad baptisterium. Præcedit turiferarius cum turibulo fumiganti; sequuntur acolythus cereum paschalem deferens, ministri, diaconi, presbyteri et Episcopus, sua quisque veste induti.[325]

1001. Interea canitur antiphona: *Hauriétis* vel *Apud te, Dómine,* cum Psalmo 35, vel alius aptus cantus.[326]

1002. Cum processio ad baptisterium pervenerit, omnes locis sibi assignatis se disponunt. Cereus autem paschalis collocatur super candelabrum paratum in medio presbyterio vel apud fontem baptismalem. Cantu expleto, Episcopus baculum et mitram deponit et populum salutat, dicens: *Grátia Dómini nostri* vel alia apta verba e Sacra Scriptura præsertim deprompta. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo* vel alio apto modo. Deinde Episcopus fideles ad celebrationem disponit monitione: *Ad lætam celebratiónem* vel alia similibus verbis expressa.[327]

1003. Admonitione expleta, Episcopus, manibus iunctis, dicit: *Orémus.* Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, manibus extensis, dicit orationem: *Deus, qui in regeneratiónis mystério.*[328]

Liturgia verbi

1004. Quibus peractis, Episcopus sedet et accipit mitram. Postea leguntur unus vel plures Sacræ Scritpuræ textus, ex iis qui in Lectionario proponuntur In conferendis sacramentis Initiationis christianæ[329] interiectis congruentibus psalmis responsoriis vel spatiis sacri silentii. Lectio autem Evangelii principem locum semper obtineat.

[325] Cf. *ibidem*, nn. 844 et 861.
[326] Cf. *ibidem*, n. 862.
[327] Cf. *ibidem*, nn. 863-864.
[328] Cf. *ibidem*, n. 865.
[329] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 751-760.

1005. Post lectionem verbi Dei fit homilia, in qua Episcopus lectiones biblicas illustrat, ita ut adstantes momentum Baptismi et fontis signum plenius intellegant.[330]

Benedictio novi fontis

1006. Deinde Episcopus, deposita mitra, fideles ad orationem invitat, dicens: *Tempus instat* vel aliam invitationem huic similem. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc Episcopus, ad fontem conversus, dicit orationem: *Deus, mundi creátor.*[331]

1007. Invocatione super fontem expleta, dum fons incensatur opportune cantus canitur, ex. gr.: *Vox Dómini* vel *Super aquas* vel *Fons hic est vitæ.* Quo finito, pro opportunitate Episcopus, stans cum mitra coram populo, recipit renovationem promissionum fidei baptismalis et aqua ex fonte hausta populum aspergit.[332]

Conclusio ritus

1008. Tunc fit communis prex, vel modo in Missæ celebratione consueto vel modo qui in Rituali Romano proponitur.

Sequitur oratio dominica, quam Episcopus opportune introducit monitione: *Mémores Baptísmi nostri* vel alia similibus verbis expressa.

Postea Episcopus dicit orationem: *Deus, qui aquárum.*[333]

1009. Denique Episcopus populum benedicit more consueto, ut infra nn. 1120-1121. Tandem diaconus eum dimittit, dicens: *Ite in pace;* omnes respondent: *Deo grátias.*

1010. Si hæc benedictio intra Missam celebretur, dicitur Missa diei vel votiva iuxta rubricas et una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario proponuntur In conferendis sacramentis Initiationis christianæ.

[330] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXV: Ordo benedictionis novi fontis baptismalis, n. 867.
[331] Cf. *ibidem,* nn. 868-869.
[332] Cf. *ibidem,* nn. 870-872.
[333] Cf. *ibidem,* n. 874.

CAPUT XVI

DE BENEDICTIONE NOVÆ CRUCIS PUBLICÆ VENERATIONI EXHIBENDÆ

PRÆNOTANDA

1011. In sanctis imaginibus, figura « pretiosæ et vivificæ Crucis »[334] principem obtinet locum, quippe quæ symbolum sit totius paschalis mysterii. Nulla christianorum plebi carior est imago, nulla antiquior. Christi passio eiusque de morte triumphus per sanctam Crucem repræsentatur simulque, ut sancti Patres docuerunt, secundus idemque gloriosus nuntiatur adventus.

1012. Benedictio novæ Crucis quolibet die et hora peragi potest, præterquam feria IV Cinerum, Triduo paschali et Commemoratione omnium fidelium defunctorum; dies vero potissimum eligatur quo fideles frequentiores convenire possint. Fideles opportune præparentur ut actuose ritui intersint.[335]

1013. Ritus qui hoc capite describitur duos tantum casus spectat:

a) cum sollemniter benedicenda est Crux erecta loco publico, ab ecclesia seiuncto;

b) cum benedicenda est Crux principalis quæ emineat in aula ecclesiæ, ubi communitas fidelium congregatur; quo in casu ritus benedictionis incipit ut infra n. 1020.

1014. Pro ritu hæc parentur:

a) Rituale Romanum, Lectionarium;

b) turibulum cum navicula incensi et cochleari;

c) candelabra pro acolythis.

Ad ritum celebrandum sacræ vestes coloris rubri vel festivi adhibentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, pluviale, mitra, baculus pastoralis;

— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;

— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

[334] Conc. Nicænum II, Act. VII: Mansi XIII, 378; Denzinger-Schönmetzer, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, ed. XXXIV, n. 601.

[335] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXVIII: Ordo benedictionis novæ Crucis publicæ venerationi exhibendæ, n. 964.

DESCRIPTIO RITUS

1015. Ubi fieri potest, præstat communitatem christifidelium processionaliter se conferre ab ecclesia aliove apto loco ad locum ubi Crux benedicenda erecta est. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad locum ubi Crux benedicenda erecta est.[336] Populo congregato, Episcopus, indutus alba, cruce pectorali, stola et pluviali, gestans mitram et baculum, accedit cum ministris; deinde, depositis baculo et mitra, salutat fideles, dicens: *Grátia Dómini nostri Iesu Christi, qui pro nobis pepéndit in ligno* vel aliam salutationem huic similem. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo,* vel alio apto modo.

1016. Deinde Episcopus fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret, adhibens, si velit, verba in Rituali proposita.

Expleta monitione, Episcopus ad orandum invitat et, post brevem orationem silentio peractam, manibus extensis dicit collectam: *Deus, cuius Fílius.*[337]

1017. Post collectam, Episcopus accipit mitram et baculum, tunc diaconus pro opportunitate clamat: *Procedámus in pace,* et ordinatur processio ad locum ubi Crux est erecta. Incedente processione, canitur antiphona *Nos autem gloriári* cum Psalmo 97, vel alius aptus cantus.[338]

Si vero processio non est facienda statim post collectam fit lectio verbi Dei.

1018. Post orationem, Episcopus sumit mitram, sedet et fit proclamatio verbi Dei, in qua leguntur una vel plures lectiones Sacræ Scripturæ, congruo interiecto psalmo responsorio. Textus sumuntur ex iis qui in Lectionario pro Missa de mysterio sanctæ Crucis indicantur.[339]

1019. Deinde Episcopus homiliam habet, in qua illustrat cum lectiones biblicas tum virtutem Crucis Domini.

1020. Expleta homilia, Episcopus mitram dimittit et, stans ante Crucem, eam benedicit, dicens orationem *Benedícimus te, Dómine, sancte Pater,* vel *Dómine, Pater sancte* qua expleta, in turibulum incensum immittit.

[336] Cf. *ibidem,* n. 966.
[337] Cf. *ibidem,* n. 967 et 968.
[338] Cf. *ibidem,* n. 971.
[339] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 969-975; Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXVIII: Ordo benedictionis novæ Crucis publicæ venerationi exhibendæ, nn. 973-975.

Et omnibus canentibus antiphonam *Crucem tuam* vel *Per signum Crucis* vel alium aptum cantum in honorem sanctæ Crucis, Episcopus, stans ante novam Crucem, eam incensat.[340]

1021. Turificatione completa, si commode peragi potest, Episcopus, ministri, fideles novam Crucem venerantur: singuli ad eam processionaliter accedunt eique reverentiam exhibent vel genu flectentes vel eam osculantes aliudve venerationis præstantes signum, secundum loci consuetudinem.

Si propter populi concursum vel ex alia rationabili causa non omnes singulatim ad Crucis venerationem accedere possunt, Episcopus paucis verbis ad sanctæ Crucis venerationem populum invitat, qui eam veneratur vel servando aliquod spatium silentii vel aptam acclamationem proferendo.[341]

1022. Post Crucis venerationem fit oratio universalis vel modo in Missæ celebratione consueto vel modo in Rituali Romano proposito. Oratio universalis concluditur oratione dominica ab omnibus cantata vel recitata et oratione Episcopi.

Deinde Episcopus, assumptis mitra et baculo, populum benedicit more consueto; diaconus autem illum dimittit, dicens: *Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias;* et opportune canitur aptus cantus ad gloriam Crucis dominicæ.[342]

[340] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXVIII: Ordo benedictionis novæ Crucis publicæ venerationi exhibendæ, nn. 977-979.
[341] Cf. *ibidem*, n. 980.
[342] Cf. *ibidem*, nn. 981-983.

CAPUT XVII

DE BENEDICTIONE CAMPANÆ

PRÆNOTANDA

1023. In Ecclesia latina, mos invaluit, qui opportune servatur, campanas benedicendi antequam in turre campanaria collocentur.

Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœcesis vel a parocho vel ab ecclesiæ rectore.[343]

Pro locorum et rerum adiunctis, campana benedicitur durante celebratione verbi Dei.

1024. Benedictio campanæ quolibet die peragi potest, præterquam feria IV Cinerum, Hebdomada sancta et Commemoratione omnium fidelium defunctorum; dies vero potissimum eligatur, quo fideles frequentes accurrere possint, præsertim dies dominica.[344]

1025. Oportet campanam loco designato ita suspendi vel collocari ut, si casus fert, commode circumiri et pulsari possit. Pro ritu autem hæc parentur:

a) Rituale Romanum et Lectionarium;
b) vas aquæ benedictæ cum aspersorio;
c) crux processionalis et intorticia pro ministris;
d) turibulum et navicula cum incenso.

Ad ritum celebrandum sacræ vestes coloris albi vel festivi adhibentur. Parentur autem:

— pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, pluviale, mitra, baculus pastoralis;
— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

DESCRIPTIO RITUS

1026. Populo congregato, Episcopus, gerens mitram et baculum, processionaliter accedit ad sedem aut ad locum ubi campana benedicenda collocata est: præcedit crucifer medius inter duos ministros

[343] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXX: Ordo benedictionis campanæ, n. 1036.
[344] Cf. *ibidem*, n. 1035.

cum intorticiis accensis, sequuntur ministri, diaconi, presbyteri et Episcopus, interea canitur aptus cantus.

1027. Expleto cantu, Episcopus, depositis baculo et mitra, populum salutat dicens: *Grátia Dómini nostri;* deinde opportune fideles alloquitur paucis verbis, quibus eorum animos ad celebrationem disponat.[345]

1028. His expletis, Episcopus assumit mitram, sedet et fit proclamatio verbi Dei. Leguntur una vel plures lectiones Sacræ Scripturæ ex iis quæ in Rituali Romano indicantur, congruo interiecto psalmo responsorio.[346]

1029. Post lectionem verbi Dei, Episcopus homiliam habet, in qua cum lectiones biblicas tum sensum et usum campanæ in Ecclesiæ traditione et vita illustrat.[347]

1030. Expleta homilia, Episcopus baculum et mitram dimittit et, stans ante campanam, illam benedicit, dicens orationem vel: *Te, Dómine, sancte Pater, benedícimus,* vel: *Deus, cuius vox.* Postea campanam aspergit aqua benedicta, et incensat. Interea cani potest antiphona: *Cantáte Dómino* cum Psalmo 149 vel alius aptus cantus.[348]

1031. Cantu expleto, fit oratio universalis vel modo in Missæ celebratione consueto vel modo in Rituali Romano indicato.[349] Oratio universalis concluditur oratione dominica ab omnibus cantata vel recitata et oratione Episcopi.

Deinde Episcopus, assumptis mitra et baculo, populum benedicit more consueto vel modo in Rituali indicato: diaconus autem illum dimittit, dicens: *Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias.*

Si opportunum videtur, Episcopus et fideles, antequam discedant, campanam benedictam pulsant in signum lætitiæ.[350]

[345] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXX: Ordo benedictionis campanæ, nn. 1038-1039.
[346] Cf. *ibidem,* nn. 1040-1042.
[347] Cf. *ibidem,* n. 1043.
[348] Cf. *ibidem,* nn. 1046-1048.
[349] Cf. *ibidem,* n. 1044.
[350] Cf. *ibidem,* nn. 1049-1050.

1032. Si benedictio campanæ fit intra Missam,[351] hæc serventur:

a) dicitur Missa diei;

b) lectiones, præterquam in sollemnitatibus, festis, diebus dominicis, sumi possunt vel e Missa diei vel ex iis quæ in Rituali Romano pro benedictione campanæ proponuntur;

c) benedictio campanæ fit post homiliam, iuxta ritum supra n. 1030 descriptum;

d) campana ne pulsetur nisi Missa expleta.

[351] Cf. *ibidem*, nn. 1035 èt 1051.

CAPUT XVIII

ORDO CORONANDI IMAGINEM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

PRÆNOTANDA

1033. Beatæ Mariæ Virginis imaginibus peculiaris veneratio exhibetur caput almæ Genetricis et, si casus fert, eius Filii, regia corona exornando. Hoc ritu fideles profitentur beatam Virginem, corpore et anima ad cælestem gloriam assumptam, Reginam merito et haberi et invocari, utpote quæ sit Mater et Socia Christi, universorum Regis, qui suo pretioso sanguine hereditatem omnium gentium acquisivit.

1034. Ad Episcopum diœcesis, una cum communitate locali, iudicare spectat de imagine beatæ Mariæ Virginis coronanda. Animadvertatur tamen eas solum imagines opportune coronari, quas fideles tanta adeant cum fiducia ut celebritate quadam polleant et locus ubi coluntur sedes ac veluti centrum factus sit germani cultus liturgici et christianæ actuositatis.

Oportet quoque fideles, qui imaginem beatæ Mariæ Virginis coronari exoptant, institui de sensu ritus ut eum penitus intellegant ac recte interpretentur.[352]

1035. Diadema seu corona imagini imponenda ea sit confecta materia, quæ sit apta ad exprimendam singularem beatæ Virginis dignitatem; vitetur tamen nimia magnificentia ac sumptuositas quæ christiani cultus sobrietatem dedecent aut in fidelibus loci, propter eorum tenuem vitæ cultum, quandam admirationem movere possunt.[353]

1036. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœcesis; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo vel presbytero, quem socium et adiutorem habuerit in cura pastorali fidelium, quorum in ecclesia imago coronanda honoratur.

Si autem imago coronatur nomine Romani Pontificis, ea serventur quæ in Brevi Apostolico indicantur.[354]

1037. Ritus coronationis convenienter peragitur in sollemnitatibus et festis beatæ Mariæ Virginis aliisque diebus festis. Ne peragatur tamen in maximis Domini sollemnitatibus necnon diebus quibus indoles inest pænitentialis.

[352] Cf. Ordo coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis, *Prænotanda*, n. 6.
[353] Cf. *ibidem*, n. 7.
[354] Cf. *ibidem*, n. 8.

Pro rerum adiunctis, coronatio imaginis beatæ Mariæ Virginis fieri potest intra Missam, in Liturgia Horarum ad Vesperas vel in apta verbi Dei celebratione.[355]

1038. Praeter ea quæ sunt necessaria ad celebrationem actionis liturgicæ cum qua ipse ritus coniungitur, hæc parentur:

a) Ordo coronationis;

b) Lectionarium;

c) corona vel coronæ apto loco dispositæ;

d) vas aquæ benedictæ cum aspersorio;

e) turibulum cum navicula incensi et cochleari.

Adhibentur sacræ vestes coloris albi vel festivi, nisi vero Missa celebretur quæ vestes alius coloris requirat.

Si Missa celebratur, parentur:

— pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, casula, mitra, baculus pastoralis;

— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;

— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.[356]

I. Coronatio intra Eucharistiæ celebrationem

1039. Si iuxta rubricas fieri potest, congruenter celebratur Missa de beata Maria Virgine Regina (die 22 augusti) vel Missa respondens titulo qui in imagine coronanda repræsentatur.[357]

1040. In Missa omnia fiunt more solito, usque ad Evangelium inclusive. Expleto Evangelio, Episcopus homiliam habet in qua cum lectiones biblicas tum maternum atque regale munus beatæ Mariæ Virginis in Ecclesiæ mysterio illustrat.[358]

Gratiarum actio et invocatio

1041. Post homiliam, ministri ad Episcopum ferunt coronas (coronam) quibus imagines Christi eiusque Matris redimiendæ sunt. Tunc Episcopus, deposita mitra, surgit et, stans ad sedem, dicit precem: *Benedíctus es, Dómine,* in qua, si tantum imago beatæ Mariæ Virginis est coronanda, versus *qui imáginem Christi eiúsque Matris* mutatur versu *qui imáginem Matris Fílii tui* ut suo loco notatur.[359]

[355] Cf. *ibidem*, nn. 9-10.
[356] Cf. *ibidem*, nn. 11-12.
[357] Cf. *ibidem*, n. 13.
[358] Cf. *ibidem*, n. 14.
[359] Cf. *ibidem*, n. 15.

Impositio coronæ

1042. Expleta oratione, Episcopus coronas (coronam) aqua benedicta aspergit et, nihil dicens, imaginem beatæ Mariæ Virginis corona exornat. Si vero beata Virgo cum Iesu infante in imagine repræsentatur, primum imago Filii coronatur, tum, postea, Matris.

Corona imposita, canitur antiphona: *Regína mundi digníssima,* vel alius aptus cantus.

Interea Episcopus imaginem beatæ Mariæ Virginis incensat.

Cantu expleto, fit oratio universalis modo in Ordine proposito vel alio apto modo.

Si opportunum videtur, Episcopus, post oblatorum, altaris, crucis incensationem, imaginem quoque beatæ Mariæ Virginis incensat.[360]

1043. Deinde Missa prosequitur more solito. Post Missam canitur antiphona *Salve Regína* vel *Ave, Regína cælórum* aut, tempore paschali *Regína cæli* aliusve aptus cantus in laudem beatæ Mariæ Virginis.[361]

II. Coronatio celebrationi Vesperarum coniuncta

1044. Si iuxta rubricas fieri potest, congruenter celebrantur Vesperæ de beata Maria Virgine Regina vel Vesperæ respondentes titulo qui in imagine coronanda repræsentatur.

1045. Vesperæ incipiunt more consueto. Ante hymnum, Episcopus, pro opportunitate, monitionis instar, fideles alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat. Sequitur cantus psalmorum cum suis antiphonis.

Absoluta psalmodia, convenienter fit lectio longior, selecta ex iis quæ in Lectionario celebrationibus beatæ Mariæ Virginis assignantur. Deinde Episcopus homiliam habet.[362]

1046. Post homiliam, pro opportunitate, omnes per aliquod temporis spatium verbum Dei silentio meditantur. Tum canitur responsorium breve *Sancta María, totíus mundi Regína* vel cantus eiusdem indolis.[363]

1047. Cantu expleto, Episcopus, dimissa mitra, surgit. Omnes pariter surgunt. Stans ad cathedram, coronam vel coronas benedicit oratione *Benedíctus es, Dómine,* atque aqua benedicta aspergit.[364] Tunc Episcopus accedit ad imaginem eamque corona exornat nihil dicens.[365]

360 Cf. Ordo coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis, nn. 16-19.
361 Cf. *ibidem,* n. 20.
362 Cf. *ibidem,* nn. 21-25.
363 Cf. *ibidem,* n. 26.
364 Cf. *ibidem,* n. 27.
365 Cf. *ibidem,* n. 28.

1048. Corona imposita, canitur canticum *Magníficat* cum una ex antiphonis quæ in Ordine recensentur. Dum canitur canticum evangelicum Episcopus postquam altare et crucem incensaverit, imaginem quoque beatæ Mariæ Virginis incensat.[366]

1049. Absoluto cantico, fit oratio universalis uno ex modis in Ordine propositis. Post orationem dominicam, nisi alia ex Officio diei dicenda sit, Episcopus dicit orationem *Deus, qui Fílii tui Genetrícem* in Ordine notatam. Deinde Episcopus benedicit populum more consueto; diaconus autem illum dimittit, dicens: *Ite in pace*. Omnes respondent: *Deo grátias*. Deinde opportune canitur antiphona beatæ Mariæ Virginis.[367]

III. Coronatio celebrationi verbi Dei coniuncta

1050. Episcopus, in secretario vel alio loco apto, assumit super albam: crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris albi vel festivi et accipit mitram et baculum. Deinde fit, more solito, ingressus in ecclesiam, dum canitur antiphona *Astitit Regína* cum Psalmo 44 vel alius cantus aptus. Cum ante altare pervenerit, baculum et mitram dimittit, altare osculatur et cathedram petit, ubi, cantu expleto, populum salutat, dicens: *Grátia Dómini nostri Iesu Christi* vel aliam salutationen huic similem.[368]

1051. Deinde fideles breviter alloquitur ut eorum animos ad celebrationem disponat et ritus sensum illustret. Expleta monitione, ad orandum invitat et, post brevem orationem silentio peractam, dicit orationem: *Deus, qui Fílii tui Genetrícem*.[369]

1052. Expleta oratione, omnes sedent. Episcopus accipit mitram, et incipit celebratio verbi Dei, quæ peragitur more consueto. Lectiones seliguntur ex iis quæ in Lectionario celebrationibus beatæ Mariæ Virginis assignantur, præsertim beatæ Mariæ Virginis Reginæ, interiectis psalmo responsorio vel momentis sacri silentii. Lectio tamen Evangelii principem locum semper obtineat.[370]

1053. Lectionibus expletis, Episcopus homiliam habet et omnia fiunt ut supra nn. 1041-1042 descriptum est.

[366] Cf. *ibidem*, n. 29.
[367] Cf. *ibidem*, nn. 30-31.
[368] Cf. *ibidem*, nn. 32-33.
[369] Cf. *ibidem*, nn. 34-35.
[370] Cf. *ibidem*, n. 36.

Postea fit litanica supplicatio modo in Ordine indicato vel alio apto modo.

Litaniis expletis, Episcopus populum benedicit quem diaconus dimittit.

Denique canitur antiphona pro temporis liturgici diversitate vel alius aptus cantus.[371]

[371] Cf. *ibidem*, nn. 37-43.

CAPUT XIX

DE BENEDICTIONE CŒMETERII

PRÆNOTANDA

1054. Ecclesia, cum cœmeterium locum sacrum habeat, studet ac monet ut nova cœmeteria, quæ vel a communitate catholica vel a publica potestate in regionibus catholicis exstruuntur, benedicantur atque in iis erigatur Crux Domini, signum spei et resurrectionis pro cunctis hominibus.

Christi discipuli autem « neque regione neque sermone, neque politicis vitæ institutis a ceteris hominibus sunt distincti »[372] quorum in familiaritate exoptant degere vitam: pro cunctis ergo defunctis cælestem Patrem exorant, et deprecantur pro eis « qui obierunt in pace Christi et pro eis quorum fidem Deus solus cognovit ».[373]

Quare christiani in cœmeteriis sepeliunt et colunt non solum corpora eorum quos fides fratres effecit, sed et eorum quos humana natura fecit consortes: omnes enim Christus in cruce redemit, pro omnibus sanguinem fundens.

1055. Benedictio cœmeterii quolibet die peragi potest, præterquam feria IV Cinerum et Hebdomada sancta; dies vero potissimum eligatur, quo fideles frequentes accurrere possint, præsertim dies dominica, quia commemoratio hebdomadaria Paschæ Domini sensum paschalem mortis christianæ melius exprimit.[374]

1056. Ritus congruenter peragitur ab Episcopo diœcesis; quod si ipse facere nequit, munus committet alii Episcopo aut presbytero, præsertim ei quem socium et adiutorem habeat in cura pastorali diœcesis vel fidelium qui cœmeterium ædificarunt (ex. gr., rectorem vel parochum cœmeterii).[375] De peracta benedictione, aptatis aptandis quæ supra n. 877 dicuntur, redigatur documentum cuius alterum exemplar in curia diœcesana, alterum in cœmeterii archivo servetur.

1057. Ad ritum benedictionis cœmeterii peragendum, hæc parentur:

a) Rituale Romanum, Lectionarium;

b) crux processionalis atque intorticia a ministris deferenda in processione ab ecclesia ad cœmeterium;

[372] *Epistola ad Diognetum,* 5: ed. Funk I, p. 397.
[373] Cf. Missale Romanum, Prex eucharistica IV, n. 123.
[374] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXXV: Ordo ad cœmeterium benedicendum, n. 1117.
[375] Cf. *ibidem,* n. 1116.

c) vas aquæ benedictæ cum aspersorio, turibulum et navicula cum incenso;

d) si altare sacelli cœmeterialis dedicandum vel benedicendum est ea quæ ad ipsius altaris ornatum requiruntur, necnon omnia ad dedicationem vel benedictionem altaris necessaria;

e) si post benedictionem sacrificium eucharisticum in cœmeterio celebratur, omnia ad Missæ celebrationem necessaria.

Ad ritum celebrandum sacræ vestes apti coloris adhibeantur. Parentur autem:
— pro Episcopo: alba, stola, crux pectoralis, pro opportunitate pluviale, casula, mitra, baculus pastoralis;
— pro presbyteris concelebrantibus: vestes pro Missa concelebranda;
— pro diaconis: albæ, stolæ, et, pro opportunitate, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

ACCESSUS AD CŒMETERIUM

1058. Ubi fieri potest præstat communitatem christifidelium ordinatim se conferre ab ecclesia aliove apto loco ad cœmeterium benedicendum. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur ad limen cœmeterii. Episcopus indutus alba, stola, et pluviali (vel, si Missa in cœmeterio celebranda est et adiuncta hoc suadent, indutus casula), et gestans mitram et baculum, accedit cum ministris, ad populum congregatum.

Deinde, depositis baculo et mitra, fideles salutat, dicens: *Grátia Dómini nostri Iesu Christi, qui largítor est vitæ* vel aliam salutationem huic similem. Populus respondet: *Et cum spíritu tuo,* vel alio apto modo.[376]

1059. Deinde Episcopus fidelium animos ad celebrationem opportune disponit monitione: *Fratres caríssimi: christiána pietáte compúlsi* vel alia similibus verbis expressa. Expleta autem monitione, ad orandum invitat et, post brevem orationem silentio peractam, dicit collectam: *Deus, qui fidéles tuos.*[377]

1060. Oratione expleta, diaconus, si casus fert, admonet: *Procedámus in pace.* Et ordinatur processio ad cœmeterium hoc modo: præcedit crucifer medius inter duos ministros cum intorticiis accensis; sequuntur ministri et Episcopus, gestans mitram et baculum, deinde fideles. Interea cani potest Psalmus 117 cum antiphona: *Pór-*

[376] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXXV: Ordo ad cœmeterium benedicendum, n. 1120.
[377] Cf. *ibidem*, nn. 1121-1122.

tio mea, Dómine vel alia in Rituali indicata aut alii apti cantus. Si vero processio non est facienda, statim post collectam Episcopus, reassumptis mitra et baculo, cum ministris et fidelibus ingreditur cœmeterium, dum canitur antiphona: *Audívi vocem* cum Psalmo 133, vel alius aptus cantus.[378]

Lectio verbi Dei

1061. Processio pergit ad locum in quo Crux est erecta, ubi fit lectio verbi Dei vel, si ibi commode peragi non potest, ad sacellum vel alium aptiorem locum.[379]

1062. Deinde leguntur unus vel plures Sacræ Scripturæ textus. Si autem sequitur celebratio liturgiæ eucharisticæ, dicuntur, congruo interiecto psalmo responsorio, saltem duæ lectiones e Lectionario defunctorum sumptæ, quarum altera sit Evangelii.[380]

1063. Quibus expletis, Episcopus homiliam habet, in qua illustrat cum lectiones biblicas tum sensum paschalem mortis christianæ.[381]

Benedictio Crucis et areæ cœmeterialis

1064. Expleta homilia, Episcopus, stans sine mitra ante Crucem in medio cœmeterii positam, ipsam Crucem et aream cœmeterialem benedicit, dicens orationem: *Deus, totíus consolatiónis.* Postea in turibulum incensum immittit et Crucem incensat. Deinde aqua benedicta aspergit cœmeterium et adstantes. Aspersionem cœmeterii peragere potest vel stans in media area cœmeteriali vel circumiens muros: quo in casu opportune canitur antiphona: *Exsultábunt Dómino* cum Psalmo 50.[382]

Liturgia eucharistica vel preces

1065. Quibus peractis, si celebrandum est sacrificium dominicum pro defunctis, Episcopus, si casus fert, induit casulam et se confert ad altare ad hoc paratum; facta cum ministris debita reverentia, osculo altare veneratur.

Diaconus vel ministri corporale, purificatorium, calicem, Missale

[378] Cf. *ibidem*, nn. 1123-1125.
[379] Cf. *ibidem*, n. 1126.
[380] Cf. *ibidem*, n. 1127. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 1011-1016.
[381] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXXV: Ordo ad cœmeterium benedicendum, n. 1128.
[382] Cf. *ibidem*, nn. 1129-1130.

in altari collocant; deinde afferunt panem, vinum et aquam, et Missa prosequitur more solito.[383]

1066. Si vero dedicandum vel benedicendum est altare sacelli cœmeterii, servanda sunt ea quæ supra dicta sunt de altaris dedicatione (nn. 943 ss.) vel benedictione (nn. 979 ss.).[384]

1067. Si autem Eucharistia non celebratur, expleta aspersione cœmeterii, fit communis prex vel modo in Missa consueto vel modo in Rituali Romano indicato. Oratio universalis concluditur oratione dominica ab omnibus cantata vel recitata et oratione Episcopi. Deinde Episcopus, assumptis mitra et baculo, populum more consueto benedicit, diaconus autem illum dimittit, dicens: *Ite in pace.* Omnes respondent: *Deo grátias,* et recedunt.[385]

De ritu, dedicationis cœmeterii, communi pluribus confessionibus christianis

1068. Sicubi vero vel a publica potestate vel a communitate christiana — a fratribus nempe seiunctis et a catholicis — exstruitur cœmeterium, quod adhibebitur ad inhumandos defunctos communitatum præsertim christianarum, cœmeterium præstat dedicari celebratione œcumenica, cuius partes omnibus quorum interest cooperantibus disponentur. Celebratio autem, quatenus catholicos respicit, ab Ordinario loci est disponenda.[386]

De præsentia catholicorum in ritu dedicationis cœmeterii religionis non christianæ vel indolem mere laicam exhibentis.

1069. Si communitas catholica invitatur ad dedicationem cœmeterii quod indolem religioni non christianæ propriam aut mere laicam exhibet, Mater Ecclesia ritu non renuit adesse aut preces effundere pro omnibus defunctis. Ad Ordinarium vero loci præsentiam catholicorum spectat moderari.

Sacerdos autem catholicus et fideles, data facultate, Sacræ Scripturæ seligant lectiones, psalmos, preces, quæ dilucide exprimant Ecclesiæ doctrinam de morte et fine hominis, qui suapte natura ad Deum vivum et verum propendet.[387]

[383] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, caput XXXV: Ordo ad cœmeterium benedicendum, n. 1131.
[384] Cf. *ibidem,* n. 1132.
[385] Cf. *ibidem,* nn. 1133-1136.
[386] Cf. *ibidem,* n. 1118.
[387] Cf. *ibidem,* n. 1119.

CAPUT XX

DE PUBLICA SUPPLICATIONE PERAGENDA CUM GRAVIS INIURIA ECCLESIÆ EST ILLATA

PRÆNOTANDA

1070. Delicta quæ in ecclesia patrantur, totam communitatem fratrum in Christum credentium quodammodo afficiunt ac lædunt, cuius ædes sacra signum est atque imago.

Huiusmodi vero delicta et scelera ea habenda sunt quæ vel sacris mysteriis, præsertim speciebus eucharisticis, gravem inferunt iniuriam et in contemptum Ecclesiæ committuntur, vel graviter offendunt dignitatem hominis humanæque societatis.

Ecclesia igitur violatur per actiones graviter iniuriosas cum scandalo fidelium ibi positas, quæ, de iudicio Ordinarii loci, ita graves et sanctitati loci contrariæ sunt, ut non liceat in eo cultum exercere donec ritu pænitentiali iniuria reparetur.[388]

1071. Iniuria ecclesiæ illata ritu pænitentiali quam primum est reparanda; donec autem ritus peragatur ne Eucharistia neve alia sacramenta ritusque liturgici in ea celebrentur. Verum præstat fidelium animos prædicatione verbi Dei et piis exercitiis ad ritum pænitentialem disponi, immo celebratione sacramenti Pænitentiæ eos intus reformari.

In signum pænitentiæ altare nudetur atque omnia signa auferantur, quæ de more lætitiam gaudiumque exprimunt: luminaria accensa, flores, ceteraque huiusmodi.

1072. Expedit ut Episcopus diœcesis ritui pænitentiali præsit ad significandum non solum communitatem loci verum etiam totam Ecclesiam diœcesis ritui sociari et conversioni pænitentiæque esse paratam.

Pro rerum adiunctis Episcopus una cum rectore ecclesiæ communitatis localis statuet utrum celebratio sacrificii eucharistici an celebratio verbi Dei peragenda sit.

1073. Ritus pænitentialis quolibet die peragi potest, præterquam in Triduo paschali, diebus dominicis et sollemnitatibus. Nihil tamen ob-

[388] Cf. Rituale Romanum, De supplicationibus. Ritus, qui hic describitur, servari debet non tantum pro ecclesia sed etiam pro ceteris locis sacris qui violati sunt: cf. C.I.C. cann. 1205-1213.

stat, immo præstat ne fideles spiritali afficiantur detrimento, quominus ritus pænitentialis celebretur in vigilia dominicæ vel sollemnitatum.

1074. Ad ritum pænitentialem celebrandum parentur:

a) Rituale Romanum, Lectionarium;

b) vas aquæ benedicendæ cum aspersorio;

c) turibulum cum navicula incensi et cochleari;

d) crux processionalis et intorticia pro ministris;

e) tobalea, cerei et cetera ad altaris ornatum necessaria;

f) ea quæ ad Missæ celebrationem requiruntur, si Missa celebratur.

In ritu pænitentiali adhibentur sacræ vestes coloris violacei vel pænitentialis, iuxta locorum consuetudines, nisi forte Missa celebretur, quæ vestes alius coloris requirat.

Parentur:

— pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, pluviale vel casula, mitra, baculus pastoralis;

— pro concelebrantibus: vestes pro Missa;

— pro diaconis: albæ, stolæ et, pro opportunitate, dalmaticæ;

— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

I. Ritus pænitentialis celebrationi eucharisticæ coniunctus

1075. Ritus qui ad iniuriam reparandam ecclesiæ illatam congruentius adhiberi potest, ille est in quo actio pænitentialis cum Eucharistiæ celebratione apte componitur. Sicut enim nova ecclesia Eucharistiæ potissimum celebratione dicatur, bonum est ut eadem prorsus celebratione ecclesia violata redintegretur.

1076. Ratione communionis qua sacerdotes Episcopo sociantur in ritus pænitentialis celebratione, præstat Episcopum Missam concelebrare cum presbyteris adstantibus maximeque cum illis, qui munus pastorale exercent in ecclesia cui iniuria est illata.

1077. Textus proprii qui ad Missæ celebrationem requiruntur, in Rituali indicantur suo quisque loco. Tamen dici potest Missa quæ, ad illatam iniuriam reparandam, aptior videatur, ex. gr. Missa De Ss.ma Eucharistia cum graviter Ss.mum Sacramentum sit profanatum, aut Missa pro concordia fovenda si in ipsa domo ecclesiæ gravis lis inter fratres communitatis facta sit.

Ingressus in ecclesiam

1078. Congregatio populi et introitus, pro temporum et locorum adiunctis, convenienter fit uno ex duobus modis qui infra describuntur.

Modus prior: *Processio*

1079. Hora competenti populus congregatur in vicina ecclesia vel alio apto loco ex quo, crucifero præcedente, convenienter incedat processio ad ecclesiam violatam reparandam. Episcopus, gestans mitram et baculum, presbyteri concelebrantes, diaconus et ministri, sua quisque veste indutus, accedunt ad locum ubi populus est congregatus. Episcopus depositis baculo et mitra, populum salutat.

1080. Deinde Episcopus fidelium animos ad celebrationem opportune disponit monitione; postea ad orandum invitat et, post brevem orationem silentio peractam, dicit collectam.

1081. Tunc diacono pro opportunitate clamante: *Procedámus in pace,* ordinatur processio ad ecclesiam reparandam: præcedit crucifer medius inter duos acolythos cum candelabris accensis, sequuntur ministri, presbyteri concelebrantes, Episcopus gerens mitram et baculum, a diaconis comitatus, et fideles.

Incedente processione, canuntur more consueto litaniæ Sanctorum, in quibus apto loco adduntur invocationes Patroni loci et Titularis ecclesiæ reparandæ. Ante invocationem: *Iesu, Fili Dei vivi,* additur invocatio quæ cum ritu celebrando rationem habet, aliæque addi possunt necessitatibus communitatis respondentes.

1082. Ecclesiam ingressus, Episcopus omissa altaris veneratione, sedem petit; concelebrantes, diaconi, ministri locis sibi in presbyterio assignatis se disponunt. Deinde Episcopus, depositis baculo et mitra, benedicit aquam et aspersionem peragit, ut infra nn. 1085-1086 describitur.

Modus alter: *Introitus*

1083. Si processio fieri nequit vel haud opportuna videtur, fideles congregantur in ecclesia. Episcopus, gerens mitram et baculum, presbyteri concelebrantes, diaconi, ministri, sua quisque veste indutus, crucifero præcedente inter duos ministros cum intorticiis e secretario per aulam ecclesiæ ad presbyterium pergunt. Interea canitur antiphona cum Psalmo 129, vel alius aptus cantus.

1084. Cum processio ad presbyterium pervenerit, ministri, diaconi, presbyteri concelebrantes, locis sibi assignatis se disponunt, Episcopus, omissa altaris veneratione, ad sedem pergit ubi, dimissis baculo et mitra, populum salutat.

Benedictio et aspersio aquæ

1085. Ritu introitus expleto, Episcopus aquam benedicit ad aspergendum populum in memoriam baptismi, in signum pænitentiæ et ad altare et parietes ecclesiæ violatæ abluenda. Ministri ad Episcopum stantem ad sedem ferunt vas cum aqua. Episcopus omnes ad orandum invitat monitione, ac deinde, post brevem orationem silentio peractam, dicit orationem benedictionis.

1086. Invocatione super aquam recitata, Episcopus, comitantibus diaconis, aqua benedicta aspergit altare et, si velit, per aulam ecclesiæ transiens, populum et parietes. Interea canitur antiphona.

1087. Quibus expletis, Episcopus revertitur ad sedem; deinde, manibus iunctis, ad orandum invitat et, post brevem orationem silentio peractam, manibus extensis, dicit collectam.

Liturgia verbi

1088. In liturgia verbi lectiones, psalmus responsorius, versus ante Evangelium sumuntur ex iis quæ proponuntur in Lectionario Missæ pro remissione peccatorum[389] nisi, ob rerum adiuncta, aliæ lectiones magis idoneæ videantur. Lecto Evangelio, Episcopus de more sedens ad sedem cum baculo et mitra, nisi ipsi aliter videatur, homiliam habet in qua cum lectiones biblicas tum restitutam dignitatem ecclesiæ et augendam sanctitatem Ecclesiæ localis illustrat.

1089. Oratio universalis, si initio celebrationis litaniæ Sanctorum cantatæ sunt, omittitur; sin autem præstat orationem universalem ita peragi ut in ea consuetis supplicationibus instans iungatur postulatio conversionis et veniæ, præ oculis habitis exemplaribus quæ in Rituali Romano proponuntur.

Liturgia eucharistica

1090. Oratione fidelium expleta, Episcopus, accepta mitra, sedet. Diaconus et ministri altare cooperiunt tobalea ac, pro opportunitate, floribus exornant; candelabra cum cereis, qui pro Missæ celebratione requiruntur et, si casus fert, crucem apte disponunt.

[389] Cf. Missale Romanum, Ordo Lectionum Missæ, nn. 948-952.

Altari parato, nonnulli fideles afferunt panem, vinum et aquam ad Eucharistiam celebrandam. Episcopus accipit dona ad sedem. Dum dona afferuntur cani potest antiphona, vel alius aptus cantus.

Deinde diaconus et ministri corporale, purificatorium, calicem, Missale in altari collocant.

Cum omnia parata sunt, Episcopus, deposita mitra, ad altare venit et illud osculatur. Missa prosequitur more solito. Dicta oratione *In spíritu humilitátis,* incensantur oblata et altare.

Dicitur oratio super oblata.

1091. Ubi gravis iniuria speciebus eucharisticis est inferta, omissis ritibus conclusionis, sequitur, pro opportunitate, expositio et benedictio eucharistica, prout describitur infra n. 1105.

Ad benedictionem finalem more consueto impertiendam, Episcopus uti potest una ex formulis benedictionis sollemnis; eaque finita, diaconus populum more solito dimittit.

II. Ritus pænitentialis celebrationi verbi Dei coniunctus

1092. Si vero tantum celebratio verbi Dei peragenda sit omnia fiunt ut supra nn. 1079-1089 indicatum est. Postea Dei misericordia imploratur deprecatione in Rituali proposita vel alia apta deprecatione pænitentiali. Deinde ministri vel fideles tobalea altare sternunt ac, pro opportunitate floribus exornant, dum festiva fit aulæ illuminatio. Episcopus ad altare accedit, quod osculo veneratur atque incensat. Incensatione peracta, stans ad altare, monitione apta orationem dominicam introducit, quam omnes simul cantant. Episcopus immediate dicit congruam orationem in Rituali indicatam. Populus more consueto benedicitur ac dimittitur.

CAPUT XXI

DE PROCESSIONIBUS

1093. Publicæ sacræque processiones, seu sollemnes supplicatione, quæ a populo fideli duce clero fiunt eundo ordinatim præsertim de loco sacro ad locum sacrum cum precibus et cantibus, ex antiquo Sanctorum Patrum instituto catholica Ecclesia usurpare consuevit vel ad excitandam fidelium pietatem vel ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas vel ad divinum auxilium implorandum, qua par est religione celebrari debent; continent enim magna et divina mysteria, et salutares christianæ pietatis fructus eas pie exsequentes a Deo consequuntur, de quibus fideles præmonere et erudire pastorum animarum est.[390]

1094. Processiones sunt aut ordinariæ, seu quæ statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetudinum Ecclesiarum, aut extraordinariæ, seu quæ pubblica de causa peculiaribus diebus indicuntur.[391]

1095. Inter processiones ordinarias primum locum obtinent processiones in festo Præsentationis Domini, in dominica in palmis de Passione Domini, in Vigilia paschali, quibus commemorantur mysteria Domini; necnon processio Ss.mi Sacramenti post Missam in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi.

1096. Processiones extraordinariæ indicuntur a Conferentia Episcoporum, uti Rogationes, aut ab Ordinario loci, ut processiones pro publica aliqua necessitate vel processiones cum sacris reliquiis vel imaginibus, et aliæ huiusmodi.

1097. Exceptis processionibus cum Ss.mo Sacramento, quæ Missam sequuntur, quippe cum in ipsa Missa hostia consecrari debeat in processione deferenda, aliæ processiones Missam celebrandam de more præcedant, nisi aliter gravi de causa Ordinario loci videatur.

1098. Processiones, præcipue si per publicas vias fiunt, ita instructæ et ordinatæ sint, ut in ædificationem omnium cedant. Accommodentur etiam ingenio populorum necnon indoli civitatis et loci.

[390] Cf. Rituale Romanum, ed. 1952. tit. X, cap. I.
[391] Cf. *ibidem*, nn. 8 et 9.

1099. In disponendis processionibus servetur ordo pro ipsis in hoc Cæremoniali [392] et in aliis respectivis libris liturgicis descriptus. In capite processionum semper deferatur crux inter duo candelabra cum candelis accensis, eique, exceptis processionibus Ss.mi Sacramenti, antecedat turiferarius cum turibulo fumiganti, si incensum adhibetur.

1100. In processionibus Ss.mi Sacramenti, ligni S. Crucis, reliquiarum, imaginum et huiusmodi, quando Episcopus processionem participat, semper decet ipsum, pluviali paratum, processioni præsidere deferendo Ss.mum Sacramentum vel rem sacram.

Si vero Episcopus, pluviali paratus, non defert Ss.mum Sacramentum vel rem sacram, semper incedit ante eum qui ea defert; si tamen incedit habitu chorali venit post Sacramentum vel rem sacram.

Ceteri vero Episcopi forte processionem participantes, quando habitu chorali induuntur, Ss.mum Sacramentum vel rem sacram sequuntur, ita ut digniores sint Sacramento propiores; cum vero pluviali induuntur, Episcopum antecedunt, ita ut semper digniores sint Ss.mo Sacramento vel rei sacræ propiores.

1101. Exceptis processionibus Ss.mi Sacramenti et cum reliquiis sanctæ Crucis, Episcopus, si sacris vestibus est indutus, gerit mitram et, nisi aliquid in manu tenere debeat, ex. gr. candelam, palmam, etiam baculum. Baculus autem, quando ab Episcopo non defertur, ante ipsum a ministro tenetur.

[392] Cf. supra ex. gr., n. 246, 270, 343, 391; cf. etiam nn. 128 et 193.

CAPUT XXII

DE EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE EUCHARISTICA

PRÆNOTANDA

1102. Expositio Ss.mæ Eucharistiæ ad agnoscendam in ea miram Christi præsentiam pertrahit, et ad cordis unionem cum illo invitat, quæ in Communione sacramentali culmen attingit. Quare attendendum est ut, in huiusmodi expositionibus, cultus Ss.mi Sacramenti in sua ratione, quæ cum Missa intercedit, eluceat.[393]

1103. Coram Sacramento publicæ adorationi exposito, unico genu flectitur.[394]

1104. Pro Ss.mi Sacramenti expositione cum ostensorio facienda parentur:

a) *Super vel circa altare, prout unaquæque res postulat*:
— ostensorium et, pro opportunitate, corporale;
— quattuor vel sex cerei;
— pro opportunitate, flores;
— Rituale Romanum;
— velum umerale;
— sedes et genuflexoria, cum et ubi requiruntur, pro Episcopo et ministris.

b) *In secretario*:
— turibulum cum navicula incensi et cochleari;
— sacræ vestes coloris albi vel festivi:
— pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, pluviale, mitra, baculus pastoralis;
— pro presbyteris: albæ, stolæ, pluvialia;
— pro diaconis: albæ, stolæ, et, pro opportunitate, dalmaticæ;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

I. DE EXPOSITIONE PROTRACTA

De expositione

1105. Si expositio est sollemnior et protracta, hostia adorationi exhibenda in Missa, quæ immediate præcedit, consecretur et in ostensorio super altare ponatur post Communionem. Missa autem finiatur

[393] Cf. Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, n. 82.
[394] *Ibidem*, n. 84.

oratione post Communionem, omissis ritibus conclusionis. Antequam Episcopus discedat, Sacramentum incensat, ritu infra n. 1109 descripto.[395]

1106. Si expositio fit extra Missam, et Episcopus ei præsideat, hic recipiatur modo supra n. 79 descripto, in secretario vel alio opportuno loco induit supra albam crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis et, de more, accipit mitram et baculum. Ei assistunt duo diaconi, vel saltem unus, vestibus sacris sui ordinis induti. Diaconis tamen deficientibus, Episcopo assistent presbyteri pluviali induti.

1107. Episcopus, cum pervenerit ante altare, tradito baculo pastorali ministro et deposita mitra, altari profundam reverentiam cum diaconis sibi assistentibus facit, vel genuflectionem peragit si Sacramentum in presbyterio asservatur, et genuflexus manet ante altare.

1108. Statim, diaconus, velo umerali assumpto, Sacramentum defert e loco asservationis, comitantibus acolythis cum cereis accensis, et illud ponit in ostensorium super mensam altaris tobalea et, pro opportunitate, corporali coopertam.[396] Deinde genuflectit et ad latus Episcopi revertitur.

Si tamen Sacramentum asservatur in altari ubi fit expositio, diaconus ascendit altare, tabernaculum aperit, genuflectit, et Sacramentum ponit in ostensorio super mensam altaris.

1109. Episcopus mox surgit et, accedente ad ipsum turiferario, imponit et benedicit incensum in turibulo, ministrante naviculam diacono. Deinde Episcopus genuflexus accipit turibulum a diacono, reverentiam cum diaconis sibi assistentibus facit atque Ss.mum Sacramentum turificat. Post iteratam inclinationem ad Sacramentum, turibulum diacono tradit.

1110. Postea, si adoratio per longius tempus protrahitur, Episcopus potest recedere.[397] Si vero manet, ad cathedram vel ad aptum presbyterii locum se conferre potest.

De adoratione

1111. Durante expositione, orationes, cantus, lectiones ita componenda sunt, ut fideles orationi intenti, Christo Domino vacent.

Ad intimam orationem alendam, adhibeantur lectiones e Sacra Scriptura cum homilia, aut breves exhortationes, quæ ad meliorem

[395] *Ibidem*, n. 94.
[396] Cf. *ibidem*, n. 93.
[397] *Ibidem*. n. 93.

æstimationem mysterii eucharistici inducant. Decet etiam fideles verbo Dei respondere cantando. Expedit ut aptis momentis sacrum silentium habeatur.

Coram Ss.mo Sacramento per longius tempus exposito celebrari potest etiam aliqua pars, præsertim vero Horæ præcipuæ, Liturgiæ Horarum; per eam enim laudes et gratiarum actiones, quæ Deo persolvuntur in Eucharistiæ celebratione, ad varias diei horas dilatantur, supplicationesque Ecclesiæ diriguntur ad Christum et per ipsum ad Patrem nomine totius mundi.[398]

De benedictione

1112. Sub finem adorationis, Episcopus ad altare accedit.[399] Si vero tunc primum advenit, observantur ea quæ supra n. 1107 describuntur. Cum pervenerit ante altare, tradit baculum pastoralem ministro et deponit mitram.

1113. Episcopus genuflexionem una simul cum diaconis peragit et genuflexus manet ante altare.

Interim canitur stropha: *Tantum ergo* vel alius cantus eucharisticus. Ture imposito et benedicto, Episcopus genuflexus Sacramentum turificat, ut supra describitur.

Deinde surgit et dicit: *Orémus*. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant; tunc Episcopus, manibus extensis, dicit: *Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili* vel aliam orationem in Rituali Romano propositam.

1114. Dicta oratione, Episcopus accipit velum umerale et altare ascendit, genuflectit et, diacono adiuvante, accipit ostensorium, quod ambabus manibus velo contectis elevatum tenens, se vertit ad populum, et signum crucis super illum facit, nihil dicens.[400]

Benedictione absoluta, diaconus accipit de manu Episcopi ostensorium et super altare collocat. Episcopus et diaconus genuflectunt. Deinde, dum Episcopus, deposito velo umerali, genuflexus manet coram altari, diaconus Sacramentum reverenter transfert ad sacellum asservationis, ubi Sacramentum in tabernaculum reponit, genuflectit et tabernaculum claudit.

Interea populus aliquam acclamationem pro opportunitate profert.[401]

Et fit reditus ad secretarium more consueto.

[398] Rituale Romanum, De sacra Communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam, nn. 95-96.
[399] Cf. *ibidem*, n. 97.
[400] Cf. *ibidem*, n. 99.
[401] Cf. *ibidem*, n. 100.

II. De expositione breviore

1115. Si expositio brevior est et cum pyxide, et Episcopus ei præsideat, hæc parentur:

— duo saltem cerei;
— pro opportunitate, turibulum cum navicula incensi;
— pro Episcopo: alba, crux pectoralis, stola, pluviale;
— pro diacono vel presbytero: alba, stola;
— pro ceteris ministris: albæ vel aliæ vestes legitime probatæ.

Cum ad altare Episcopus pervenerit reverentiam debitam faciat et genuflexus maneat ante altare. Diaconus vel presbyter Ss.mum Sacramentum exponit.

Si incensum adhibetur serventur quæ supra n. 1109 et 1113 dicta sunt.

Sub fine adorationis canitur stropha: *Tantum ergo* vel alius cantus eucharisticus. Deinde Episcopus surgit, et dicit: *Orémus*. Et omnes per aliquod temporis spatium silentio orant. Tunc, manibus extensis, dicit aptam orationem ex Rituali Romano.

Accepto velo umerali, altare ascendit, genuflectit, accipit pyxidem ambabus manibus velo contectis et ad populum versus, signum crucis super illum facit, nihil dicens. Postea pyxidem super altare collocat, genuflectit et deposito velo umerali, genuflexus manet coram altari donec diaconus vel presbyter Ss.mum Sacramentum in tabernaculum reponat.

Post reverentiam debitam omnes ad secretarium redeunt.

CAPUT XXIII

DE BENEDICTIONIBUS AB EPISCOPO IMPERTIENDIS

Prænotanda

1116. Ministerium benedictionis coniungitur cum peculiari exercitio sacerdotii Christi, secundum locum et officium quod cuique in populo Dei competit. Hoc sensu convenit Episcopum illis potissimum præesse celebrationibus, quæ universam communitatem diœcesanam spectant et quas ideo ipse sibi reservare potest, ita tamen ut generatim etiam presbyterum delegare queat, quatenus suo nomine præsit.

Episcopi cura etiam erit populum Dei docere de recta rituum et precum significatione quibus Ecclesia in benedictione impertienda utitur, ne in celebrationes sacras aliquid inducatur quod superstitione et vanæ credulitatis permixtione fidei noceat puritati.[402]

1117. Celebratio typica benedictionis in libris liturgicis duas partes præcipuas exhibet quarum prior est lectio verbi Dei, altera vero laus divinæ bonitatis et auxilii cælestis impetratio. Attamen, structura et harum principalium partium ordine servatis facultates in variis Ordinibus conceduntur ut normæ primariæ de conscia, actuosa et apta participatione recte foveatur. Ideo semper ad salutis nuntium, fidei communicationem, Dei laudem et orationem, benedictioni ut celebrationi coniuncta, attendendum sedulo est, etiam si solo signo crucis quædam sint benedicenda.[403]

I. De benedictione ordinaria

1118. In fine Missæ stationalis Episcopus populo benedicit ut supra n. 169 describitur.

1119. In aliis Missis et actionibus liturgicis (ex. gr. in fine Vesperarum vel Laudum, in fine processionis quando Ss.mum Sacramentum non portatur, etc.), vel etiam extra actiones liturgicas, Episcopus benedictionem impertire potest alterutra ex sequentibus formulis adhibita.

[402] Cf. Rituale Romanum, De benedictionibus, *Prænotanda generalia*, nn. 18-19.
[403] Cf. *ibidem*, nn. 20-24; 27.

Modus prior

1120. Episcopus accipit, si ea utitur, mitram et, extendens manus, salutat populum, dicens: *Dóminus vobíscum,* omnibus respondentibus: *Et cum spíritu tuo.* Tunc Episcopus manibus super fideles benedicendos extensis, prosequitur: *Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intellegéntias vestras in sciéntia et caritáte Dei et Fílii eius Dómini nostri Iesu Christi.* Et omnes respondent: *Amen.*

Tunc Episcopus, accepto, si eo utitur, baculo, dicit: *Benedícat vos omnípotens Deus* et, signum crucis super populum faciens, addit: *Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.*

Modus alter

1121. Episcopus, postquam populum salutaverit, ut supra n. 1120, describitur, dicit: *Sit nomen Dómini benedíctum;* et omnes respondent: *Ex hoc nunc et usque in sǽculum.* Deinde addit: *Adiutórium nostrum in nómine Dómini,* omnibus respondentibus: *Qui fecit cælum et terram.* Tandem dicit: *Benedícat vos,* ut supra n. 1120 describitur.

II. De Benedictione Apostolica

1122. Benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria impertire potest Episcopus in sua diœcesi ter in anno, festis sollemnibus ab ipso designandis, etiamsi idem Missæ adsistat tantum.

Alii prælati iure Episcopis diœcesanis æquiparati, quamvis episcopali dignitate careant, ab initio pastoralis muneris, benedictionem papalem cum eadem indulgentia impertire possunt in suis territoriis ter in anno, festis sollemnibus ab ipsis designandis.[404]

Hæc benedictio datur in fine Missæ loco benedictionis consuetæ.[405] Ad ipsam autem ordinatur iam actus pænitentialis initio Missæ occurrens.

1123. In monitione ad actum pænitentialem, Episcopus fideles monet de benedictione cum indulgentia plenaria quam in fine Missæ daturus est eosque invitat ut de peccatis suis pæniteant et sese disponant ad hanc indulgentiam participandam.

[404] Cf. Enchiridion indulgentiarum, Normæ de Indulgentiis, n. 11, § 2.

[405] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. de ritibus et insignibus pontificalibus simplicioribus reddendis, *Pontificales ritus,* 21 iunii 1968, nn. 33-36: A.A.S. 60 (1968), pp. 406-412.

Loco formulæ qua actus pænitentialis consueto concluditur sequens adhibetur:

Précibus et méritis beátæ Maríæ semper Vírginis, sanctórum Apostolórum Petri et Pauli et ómnium Sanctórum, spátium veræ et fructuósæ pæniténtiæ, cor semper pǽnitens et emendatiónem vitæ, perseverántiam in bonis opéribus tríbuat vobis omnípotens et miséricors Deus et, dimíssis ómnibus peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

1124. In oratione universali, ne prætermittatur intentio pro Ecclesia et specialis addatur pro Romano Pontifice.

1125. Expleta oratione post Communionem, Episcopus mitram assumit. Diaconus annuntiat benedictionem his vel similibus verbis:

Venerábilis Pater N., Dei et Apostólicæ Sedis grátia huius sanctæ Ecclésiæ N. Epíscopus, Románi Pontíficis nómine ómnibus hic præséntibus vere pæniténtibus, conféssis ac sacra Communióne reféctis benedictiónem impértiet cum indulgéntia plenária.

Rogáte Deum pro beatíssimo Papa nostro N., pro Epíscopo nostro N. et sancta Matre Ecclésia, et in eius plena communióne, vitæ sanctitáte, studéte ambuláre.

1126. Tunc Episcopus, stans cum mitra, extendens manus, populum salutat dicens: *Dóminus vobíscum,* cui respondetur: *Et cum spíritu tuo.* Diaconus autem dicere potest invitatorium: *Inclináte vos ad benedictiónem,* vel aliud similibus verbis expressum. Et Episcopus formulam benedictionis sollemnis in Missali exstantem profert, manus tenens extensas super populum. Deinde baculum accipit et benedictionem concludit hac formula:

Per intercessiónem beatórum Apostolórum Petri et Pauli, benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Dum hæc postrema verba profert, signum crucis super populum producit.

III. De aliis benedictionibus

1127. Quando aliqua benedictio forma communitaria et in magno fidelium cœtu ab Episcopo celebranda est, ritus ordinetur modo pro singulis benedictionibus in Rituali vel proprio libro liturgico præscripto. Episcopus induat super albam, crucem pectoralem, stolam, pluviale coloris convenientis atque utatur mitra et baculo.

1128. Episcopo convenienter assistunt diaconus cum alba, stola et, pro opportunitate, dalmatica vel presbyter alba vel superpelliceo super vestem talarem et stola indutus, aliique ministri veste pro eis legitime probata induti.

Episcopus in celebratione sibi de more reservat: salutationem, brevem homiliam, in qua cum lectiones biblicas tum significationem benedictionis peragendæ exponit, orationem benedictionis, quam stans et sine mitra dicit, introductionem et conclusionem orationis universalis, si laudabiliter adiungitur, et ante dimissionem, fidelium benedictionem, quam more consueto impertit.

PARS VII

DE NOTABILIBUS DIEBUS IN VITA EPISCOPI

CAPUT I

DE EPISCOPI ELECTIONE

1129. Cum primum Ecclesia localis authentice certior facta fuerit de peracta canonica provisione, convocante Administratore diœcesano, opportune celebretur in ecclesia cathedrali actio liturgica ad gratias Deo agendas et orationem pro electo faciendam.

1130. Electus ipse debet quantocius:

a) si Romæ degat tempore suæ electionis, Romanum Pontificem adire, secus ad eum litteras mittere, ut ei communionem et obsequium exprimat suamque Ecclesiam commendet;

b) professionem fidei emittere atque iuramentum fidelitatis erga Apostolicam Sedem, si Romæ degat, coram Cardinale ad hoc deputato, vel, secus coram delegato ab ipsa Apostolica Sede.[1]

c) Metropolitam aut antiquiorem ex provinciæ Episcopis adire, ut ab eo certior fiat de statu suæ diœcesis et, si casus fert, de die suæ episcopalis ordinationis cum eo conveniat;

d) dimittere officia quibus antea incumbebat ut, orationi et meditationi vacans, se præparet ad novum suum ministerium;

e) pallium, si eo fruitur, a Romano Pontifice petere.[2]

1131. Intra tempus a iure definitum electus debet ordinationem episcopalem accipere et canonicam possessionem suæ diœcesis capere, ut infra nn. 1133-1140 dicitur.

1132. Vestibus et insignibus episcopalibus electo tantum a momento ordinationis uti licebit, iuxta præscripta liturgica.

[1] Cf. C.I.C., cann. 380 et 833, 3°.
[2] Cf. C.I.C., can. 437, § 1.

CAPUT II

DE EPISCOPI ORDINATIONE

1133. Nisi legitimo detineatur impedimento, electus debet intra tres menses ab acceptis apostolicis Litteris ordinationem episcopalem recipere, et quidem antequam officii sui possessionem capiat.[3]

1134. Episcopi ordinatio inter Missarum sollemnia peragitur secundum ritum et normas in Pontificali Romano descriptas (cf. supra nn. 563-597).

1135. Valde convenit ut ordinatio Episcopi fiat in sua ecclesia cathedrali. Quo in casu possessionem diœcesis capit ipso ritu ordinationis, in quo ostenduntur et leguntur Litteræ apostolicæ atque ordinatus in sua cathedra sedet, ut supra nn. 573 et 589 dictum est.

1136. Ex traditione antiquissima Ecclesiæ, ad collegium episcopale manifestandum, haud pauciores quam tres sint Episcopi qui concelebrantes eum consecrent, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit. Convenit vero ut omnes Episcopi præsentes sint consecrantes.[4]

1137. De more consecrator principalis suffraganei sit Metropolita; auxiliaris sit Episcopus loci, nisi aliud a Romano Pontifice in bulla nominationis provisum fuerit.

[3] Cf. C.I.C., can. 379.
[4] Cf. Pontificale Romanum, De ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi, De ordinatione Episcopi, Prænotanda, n. 4.

CAPUT III

DE DIŒCESIS POSSESSIONE

1138. Nisi legitimo detineatur impedimento, promotus ad officium Episcopi diœcesani debet canonicam suæ diœcesis possessionem capere, si non iam sit ordinatus Episcopus, intra quattuor menses a perceptis apostolicis Litteris, si vero sit ordinatus intra duos menses ab eisdem receptis.[5]

1139. Si Episcopus in sua ecclesia cathedrali ordinatur, ipse diœcesis possessionem capit ritu ordinationis, in quo ostenduntur et leguntur Litteræ apostolicæ atque ordinatus in sua cathedra sedet, ut supra nn. 573 et 589 dictum est.

1140. Si Episcopus ab alia Ecclesia translatus sit vel ordinationem in sua cathedrali ecclesia non acceperit, diœcesis possessionem capit intra terminos a iure statutos ritu receptionis, ut infra nn. 1141-1144 describitur.

His in casibus, Episcopus diœcesis possessionem capere potest, iusta de causa, etiam per procuratorem. Præstat tamen ut Episcopus per se possessionem capiat.[6]

[5] Cf. C.I.C., can. 382, § 2.
[6] Cf. C.I.C., can. 382, §§ 3 et 4.

CAPUT IV

DE EPISCOPI RECEPTIONE IN SUA CATHEDRALI ECCLESIA

1141. Si Episcopus ab alia Ecclesia translatus sit vel ordinationem episcopalem in sua cathedrali ecclesia non acceperit, tunc, convocata communitate diœcesana, fit per celebrationem Missæ stationalis eiusdem receptio, cum primum advenit in suam Ecclesiam.

1142. Episcopus ad ianuas ecclesiæ cathedralis excipitur a prima dignitate capituli vel, deficiente capitulo, a rectore eiusdem ecclesiæ pluviali induto, qui ei osculandam offert Crucifixi imaginem, ac deinde aspersorium aquæ benedictæ præbet, qua Episcopus sese et præsentes aspergit. Postea convenienter ducitur ad sacellum Ss.mi Sacramenti, quod genuflexus breviter adorat, denique ad secretarium, ubi ipse Episcopus necnon presbyteri concelebrantes, diaconi et alii ministri induunt sacras vestes pro Missa, quæ celebratur ritu stationali.

1143. Postquam, venerato altari, ad cathedram pervenerit, et, expleto cantu ad introitum, populum salutaverit, Episcopus sedet et accipit mitram. Unus e diaconis vel e presbyteris concelebrantibus Litteras apostolicas Collegio consultorum, præsente cancellario Curiæ qui rem in acta referat, ostendit ac deinde ad ambonem legit, quas omnes sedentes auscultant et in fine acclamant, dicentes: *Deo grátias* vel aliam acclamationem aptam. In diœcesibus vero noviter erectis, clero ac populo in ecclesia cathedrali præsenti earumdem Litterarum communicatio fit, presbytero inter præsentes seniore acta referente.

Postea, si Episcopus iure pallii gaudet, illud ei imponatur, ritu infra nn. 1149-1155 descripto.

Deinde iuxta consuetudinem a prima dignitate capituli, vel deficiente capitulo, a rectore ecclesiæ, Episcopus salutatur.

Tunc, secundum consuetudines locales, capitulum et saltem pars cleri necnon aliqui fideles et, pro opportunitate, etiam auctoritas civilis forte præsens, ad suum Episcopum accedunt ut obœdientiam et ei reverentiam manifestent.

Deinde, omisso actu pænitentiali et, pro opportunitate, *Kýrie*, Episcopus, deposita mitra, surgit et canitur: *Glória in excélsis*, secundum rubricas.

1144. In homilia post Evangelium Episcopus suum populum prima vice alloquitur.

Missa prosequitur more solito.

1145. Si vero ipse Metrolopita introducit Episcopum in eius ecclesiam cathedralem, tunc ad ianuam ecclesiæ ipse præsentat Episcopum primæ dignitati capituli et præsidet processioni introitus, ad cathedram salutat populum et requirit ut ostendantur et legantur Litteræ apostolicæ. Quibus lectis, et post acclamationem populi, Metropolita invitat Episcopum ad sedendum in cathedra. Deinde Episcopus surgit et canitur: *Glória in excélsis* secundum rubricas.

1146. Si tamen Episcopus possessionem diœcesis iusta de causa per procuratorem acceperit, ritus receptionis fit ut supra describitur, omissis tamen Litterarum apostolicarum ostensione et lectione.

1147. A die vero captæ possessionis nomen Episcopi dicatur in Prece eucharistica ab omnibus presbyteris qui Missam celebrant in eius diœcesi, etiam in ecclesiis et oratoriis exemptorum.

1148. Episcopus auxiliaris vel coadiutor, qui alibi ac in ecclesia cathedrali ipsius diœcesis ordinatus fuerit, convenienter ab ipso Episcopo residentiali populo præsentatur intra actionem liturgicam.

CAPUT V

DE PALLII IMPOSITIONE

1149. Impositio pallii fit, quoties id possibile est, in ordinatione episcopali, statim post traditionem anuli episcopalis, antequam mitra novo Episcopo imponatur. Consecrator principalis pallium imponit dicens: *Ad omnipoténtis Dei gloriam,* ut infra n. 1154 dicitur.

Quoties id fieri nequit, impositio palli opportune coniungitur cum ritu receptionis Episcopi in eius cathedralem ecclesiam. Impositio pallii fit inter celebrationem Eucharistiæ in ecclesia cathedrali Episcopi vel in alia aptiore ecclesia eius territorii, ab Episcopo cui hoc munus ab Apostolica Sede commissum est, ritu qui infra describitur.

1150. Missa celebratur ritu stationali. Pallium defertur ab uno ex diaconis in processione ad intròitum, et super altare collocatur.

1151. Apto presbyterii loco digna sedes paratur pro Episcopo cui ab Apostolica Sede munus commissum est pallium tradendi.

Ipse, usque ad impositionem pallii, celebrationi præsidet.

1152. Expleto cantu ad introitum, Episcopus, cui munus imponendi pallium commissum est, populum more consueto salutat eique paucis verbis sensum declarat eorum quæ agentur. Deinde diaconus, si traditio pallii coniungitur cum receptione Episcopi in eius ecclesiam cathedralem, ad ambonem accedit et legit Mandatum apostolicum, quod omnes sedentes auscultant et cuius in fine acclamant: *Deo grátias* vel alio modo aptiore iuxta loci consuetudines.

1153. Lecto Mandato apostolico vel, si traditio pallii non fit in receptione Episcopi in eius ecclesiam cathedralem, statim post monitionem illius qui præsidet, electus, ad Episcopum cui munus imponendi pallium commissum est, accedit atque, genuflexus ante eum qui sedet cum mitra, professionem fidei et iuramentum emittit, iuxta formam per Litteras apostolicas traditam.

1154. His autem expletis, Prælatus accipit a diacono pallium et super umeros electi imponit, hanc dicens formulam:

Ad omnipoténtis Dei glóriam
atque ad laudem beátæ Maríæ semper Vírginis
et beatórum Apostolórum Petri et Pauli,

nómine Románi Pontíficis, Papæ N.,
et Sanctæ Románæ Ecclésiæ,
ad decórem Sedis N. tibi commíssæ,
in signum potestátis metropolitánæ
trádimus tibi pállium de confessióne beáti Petri sumptum,
ut eo utáris intra fines provínciæ ecclesiásticæ tuæ.
Sit tibi hoc pállium sýmbolum unitátis,
et cum Apostólica Sede communiónis téssera,
sit vínculum caritátis et fortitúdinis incitaméntum,
ut die advéntus et revelatiónis magni Dei,
pastorúmque príncipis Iesu Christi,
cum óvibus tibi créditis
stola potiáris immortalitátis et glóriæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

1155. Tunc omissis actu pænitentiali et, pro opportunitate, *Kýrie*, Archiepiscopus qui pallium recepit, inchoat, si dicendum est, hymnum: *Glória in excélsis*.

Missa deinde prosequitur more consueto.

CAPUT VI

DE EPISCOPI TRANSLATIONE AD ALIAM SEDEM AUT DE EIUS RENUNTIATIONE

1156. Episcopus, qui ad aliam sedem promotus est vel cuius dimissio a Romano Pontifice accepta est, convenienter populum suum ad actionem liturgicam convocat ut, vale ei dicat et cum eo de beneficiis tempore sui episcopatus a Deo acceptis gratiæ reddantur.

CAPUT VII

DE MORTE ET EXSEQUIIS EPISCOPI

1157. Infirmitate et morbo affectus, Episcopus suo populo exemplum præbens, sacramentum Pænitentiæ et Eucharistiæ accipiat, et, si graviter ægrotat, Unctionem infirmorum.

1158. Morti vero proximus et certior factus, Sanctum Viaticum petat et accipiat secundum ritum qui in Rituali Romano describitur.[7]

1159. Cordi sit presbyterio et præcipue Collegio consultorum vel capitulo ecclesiæ cathedralis, assistentiam spiritalem Episcopo præbere in agonia, præcipue curando ut commendationis preces [8] apud eum recitentur et in tota diœcesi fideles pro eo orent.

1160. Cum Episcopus expiraverit, dicantur preces in Rituali descriptæ.[9] Deinde induatur defunctus vestibus coloris violacei et insignibus Missæ stationalis, et etiam pallio, si eo rite fruebatur; baculus vero non ponitur. Si Episcopus, translatus ex aliis sedibus, plura pallia acceperit, hæc in ipsa capsa defuncti ponuntur nisi ipse Episcopus, dum vita fruebatur, aliter statuerit. Postea, donec transferatur in ecclesiam cathedralem pro exsequiis celebrandis, corpus Episcopi exponatur in loco apto ubi fideles possint eum visitare et pro eo orare. Apud feretrum vel in ecclesia cathedrali celebretur vigilia vel Liturgia Horarum pro defunctis.

1161. Die et hora opportuna, convocetur clerus et populus ad exsequias Episcopi in cathedrali ecclesia peragendas. Exsequiis præsideat Præses cœtus Episcoporum regionalis vel Metropolita, et cum eo concelebrent alii Episcopi necnon presbyteri diœcesis.

1162. Exsequiæ celebrantur ut describitur supra nn. 821-838.

1163. Episcopus celebrans principalis ultimæ commendationi solus præsidet.

1164. Corpus Episcopi diœcesani defuncti sepeliatur in ecclesia, quæ de more sit ecclesia cathedralis suæ diœcesis. Episcopus qui

[7] Cf. Rituale Romanum, Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ, nn. 97-99; 100-104.
[8] Cf. *ibidem,* nn. 143-150.
[9] Cf. *ibidem,* n. 151.

sedi renuntiaverit sepeliatur in ecclesia cathedrali suæ ultimæ sedis nisi aliter ipse providerit.

1165. Omnes communitates diœcesis preces effundant pro defuncto Episcopo sive Missam, sive Liturgiam Horarum pro defunctis celebrando sive alio pro suo posse modo.

CAPUT VIII

DE SEDE EPISCOPALI VACANTE

1166. Vacante sede episcopali, ab Administratore diœcesano invitatur clerus et populus ad preces frequenter fundendas ut is pastor eligatur qui necessitatibus Ecclesiæ obeat. In omnibus ecclesiis diœcesis celebretur, semel saltem, Missa pro eligendo Episcopo, dummodo ne occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.[10]

CAPUT IX

DE QUIBUSDAM ANNIVERSARIIS CELEBRANDIS

1167. Quotannis in ecclesia cathedrali necnon in aliis ecclesiis et communitatibus diœcesis celebretur dies anniversarius ordinationis Episcopi cum Missa pro Episcopo, dummodo ne occurrat dies qui sub nn. 1-6 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.[11]

Hac die laudabiliter Episcopus loci præsidet, in ecclesia cathedrali, Missæ stationali.

1168. Ex venerabili traditione fit etiam quotannis anniversarium ultimi Episcopi defuncti nisi ipse ad aliam sedem translatus fuit, cum celebratione Missæ cui laudabiliter Episcopus loci præsidet in ecclesia cathedrali. Moneantur fideles et præcipue sacerdotes ut in Domino meminerint suorum præpositorum qui eis locuti sunt verbum Dei.[12]

[10] Cf. infra, Appendix II.
[11] Cf. *ibidem*.
[12] Cf. Hebr 13, 7.

PARS VIII

DE CELEBRATIONIBUS LITURGICIS CUM SOLLEMNIBUS EPISCOPALIS REGIMINIS ACTIBUS CONIUNCTIS

CAPUT I

DE CONCILIIS PLENARIIS VEL PROVINCIALIBUS ET DE SYNODO DIŒCESANA

1169. Ex antiqua Ecclesiæ traditione sive Concilia sive Synodus diœcesana actiones quoque liturgicas complectuntur, exemplar sumendo eorum celebrationum quæ in Actis Apostolorum (15, 6-29) referuntur. Ecclesiæ enim regimen numquam uti actus mere administrativus est habendus, sed cum eius cœtus in nomine et ad laudem Dei eiusque gloriam, movente Spiritu Sancto, coadunentur, eam unitatem Corporis Christi manifestent, quæ maxime in sacra liturgia emicat. Quibus enim communis est cura, communis etiam debet esse oratio.

1170. Cœtus initium habeant Missæ celebratione, ad quam vocetur populus et in qua omnia membra Concilii seu Synodi convenienter cum eius Præside concelebrent; qui vero non concelebrant, communicare possunt sub utraque specie. Dicitur Missa pro Concilio vel Synodo, quæ exstat in Missali inter Missas pro variis necessitatibus, cum sacris vestibus rubri coloris, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur.[1]

1171. Si ante hanc Missam, iuxta locorum et rerum adiuncta, fit processio ad locum ubi fit collecta, canitur antiphona: *Exáudi nos*, vel alius aptus cantus, deinde Præses salutat populum et, facta brevi monitione sive a seipso sive ab uno ex concelebrantibus sive a diacono, ipse dicit unam ex orationibus quæ pro conventu spiritali vel pastorali vel pro Ecclesia, præsertim locali, in Missali exstant. Deinde imponitur incensum, et, pro opportunitate clamante diacono: *Procedámus in pace,* ordinatur processio in qua honorifice defertur ab uno diacono liber Evangeliorum; et proceditur ad ecclesiam dum cantantur litaniæ Sanctorum, quibus ante ultimam invocationem additur: *Ut hanc præséntem Sýnodum visitáre et benedícere dignéris.* Apto autem loco inseri possunt invocationes Sancti Patroni vel Fundatoris, et Sanctorum Ecclesiæ localis. Cum processio ad ecclesiam pervenerit, venerato altari a concelebrantibus, omnes loca sibi assignata occupant, Præses autem item altare veneratur et incensat atque ad cathedram accedit, ubi, omissis ceteris ritibus initialibus, dicit collectam Missæ.

1172. Si vero hæc processio locum non habuit, Missa incipit more consueto secundum ritum Missæ stationalis. Post Evangelium,

[1] Cf. infra, Appendix II.

liber Evangeliorum apertus in pluteum idoneum imponitur in medio presbyterii.

1173. Homilia a Præside habita, semper dicitur vel cantatur symbolum, quod sequitur iuramentum membrorum Concilii vel Synodi necnon ipsius Præsidis.

Dicta oratione post Communionem, Præses dat benedictionem; diaconus autem populum dimittit. Deinde Præses incipit orationem *Adsumus* vel aliam, quam omnes prosequuntur.

1174. Concilio vel Synodo perdurante, convenit ut ante congregationem uniuscuiusque diei Missa concelebretur vel canatur Hora Liturgiæ Horarum tempori diei respondens, vel fiat celebratio verbi Dei.

Si Missa celebratur, liber Evangeliorum honorifice defertur in ingressu concelebrantium et super altare deponitur, ut in Missa stationali. Dicto autem Evangelio, liber apertus in pluteum idoneum imponitur in medio presbyterii.

Si vero celebratur Hora Liturgiæ Horarum, celebratione peracta liber Evangeliorum honorifice defertur a diacono, comitantibus acolythis cum cereis accensis et tunc eodem ritu quo in Missa legitur aptus textus Evangelii atque, lectione finita, diaconus imponit librum apertum in pluteum idoneum, ut supra.

Si autem fit celebratio verbi Dei, omnia peraguntur ut in nn. 221-226, servatis iis quæ dicta sunt de honoribus libro Evangeliorum tribuendis.

1175. In fine ultimæ congregationis canitur hymnus: *Te Deum* et concluditur benedictione Præsidis et dimissione. Si vero tunc Missa celebratur, cantus hymni *Te Deum* fiat ante orationem post Communionem. Pro opportunitate, post dimissionem cani possunt etiam Laudes sic dictæ « regiæ » seu « carolinæ ».

1176. Quæ hic dicuntur de Conciliis et de Synodo diœcesana, quæ sollemniores constituunt adunationes, valent, positis ponendis, etiam de iis cœtibus frequentioribus qui ad ordinarium Ecclesiarum regimen convocari solent, uti sunt adunationes Conferentiæ Episcoporum, Consilii presbyteralis et aliæ huiusmodi.

CAPUT II

DE VISITATIONE PASTORALI

1177. Episcopus munus visitandi parœcias seu communitates locales suæ diœcesis adimplens, ne videatur onus mere administrativum implere, sed a fidelibus clare dignoscatur Evangelii præco, doctor, pastor et sacerdos magnus sui gregis.

1178. Quod ut efficacius obtineatur, visitatio Episcopi iis diebus quantum possibile potest, fiat, quibus fideles frequentes convenire possint; ipsi præterea, tempore debito, apta catechesi a suis presbyteris præparentur. Visitatio vero sit sufficienter protracta, ut Episcopus possit apostolatum presbyterorum et laicorum atque caritatis opera discernere, promovere, fovere et ad concordem redigere actionem, necnon celebrationibus liturgicis præsidere.

1179. Episcopus, vestibus indutus supra n. 63 descriptis, convenienter recipiatur, pro locorum et rerum adiunctis. Si opportunum videtur, a clero et populo sollemniter ad portam ecclesiæ vel in ipsa ecclesia recipiatur et salutetur. Ubi autem fieri potest et opportunum videtur, deducatur etiam ad ecclesiam cum cantu festivo. Sobria sollemnitas receptionis Episcopi sit signum amoris et devotionis populi fidelis in bonum pastorem.

1180. Ad ianuam ecclesiæ Episcopus excipitur a parocho pluviali induto, qui ei osculandam offert Crucifixi imaginem, ac deinde aspersorium aquæ benedictæ qua Episcopus se et adstantes aspergit. Deinde Episcopus, post brevem orationem in silentio ad Ss.mum Sacramentum, ad presbyterium accedit, ubi parochus stans ante altare, fideles ad orandum pro Episcopo invitat et post brevem orationem in silentio peractam, dicit collectam: *Deus, pastor ætérne* vel: *Deus, ómnium fidélium pastor et rector*, ut in Missali invenitur.[2]

Deinde Episcopus populum salutat et quæ agenda sunt tempore visitationis exponit, ac demum dicit orationem de Titulo ecclesiæ vel de Patrono loci et populum, more solito, benedicit, et parochus eum dimittit.

1181. Quando vero sequitur Missa, statim post orationem pro Episcopo, ipse Episcopus ad sedem sacras vestes induit ad Missam, quam presbyteri parœciæ curam animarum gerentes vel in eius finibus degentes cum eo concelebrent et quam fideles actuose participent; quod præ-

[2] Cf. Missale Romanum, Missæ pro variis necessitatibus, 3. Pro Episcopo, A.

cipue procurandum est in iis dissitis diœcesis regionibus quarum incolæ raro aut numquam Missam stationalem Episcopi in sua civitate participare possunt.

1182. Quo autem clarius Episcopus a fidelibus videatur præcipuus dispensator mysteriorum Dei sicut et totius vitæ liturgicæ in Ecclesia sibi commissa moderator atque custos, optandum est ut intra pastoralem visitationem non tantum sacramentum Confirmationis, sed quandoque etiam alia sacramenta administret, præsertim in visitatione infirmorum.

1183. Si vero visitatio protrahitur, fiat in ecclesia aliqua celebratio Liturgiæ Horarum vel celebratio verbi Dei cum homilia Episcopi et precibus pro Ecclesia tum universa tum diœcesana.

1184. Pro opportunitate Episcopus, cœmeterium quoque cum populo adeat, ibique pro fidelibus defunctis preces fundat, servatis iis quæ de aspersione sepulcrorum, supra nn. 399 ss. dicuntur.

CAPUT III

DE INTRODUCTIONE NOVI PAROCHI

1185. Antequam parochus in suam parœciam introducatur aut in ipso possessionis capiendæ actu, ad normam iuris, professionem fidei emittat coram Ordinario loci vel eius delegato.

1186. Introductio novi parochi fit ab ipso Episcopo vel eius delegato die et hora aptiore, convocatis fidelibus, secundum consuetudines locales vel, convenienter, ut infra describitur.

1187. Convenit ut introductio fiat cum Missa, quæ erit vel Missa diei, vel votiva Tituli ecclesiæ, vel de Spiritu Sancto, secundum rubricas. Episcopus Missæ præsideat, concelebrantibus novo parocho aliisque presbyteris eiusdem parœciæ vel districti.

1188. Si vero Episcopus, iusta de causa, Missæ intersit quin tamen eam celebret, præstat ipsum saltem liturgiæ verbi præsidere et populum in fine Missæ benedicere, ut supra nn. 175-185 dictum est.

1189. Serventur consuetudines locales, si quæ sunt. Secus, pro opportunitate, ritus infra descripti adhiberi possunt ex toto vel ex parte.

1190. Ubi adiuncta id permittunt, Episcopus et novus parochus excipi possunt in finibus parœciæ et processionaliter ducuntur usque ad portam ecclesiæ, ubi Episcopus breviter præsentat novum parochum et ei tradit clavem ecclesiæ. Præsentatio tamen etiam initio Missæ, post salutationem, fieri potest, præsertim quando in ipso initio Missæ, post salutationem Episcopi, legitur documentum nominationis et parochus iuramentum ad normam iuris emittit.

1191. Evangelium convenienter annuntiatur ab ipso parocho qui antea accedit ad Episcopum, ab eo ipse librum accipit et benedictionem petit.

1192. In homilia Episcopus munus parochi fidelibus illustrat, atque significationem rituum, qui statim post homiliam locum habebunt, declarat.

1193. Expleta homilia, laudabiliter a novo parocho fit renovatio promissionum quas in sua ordinatione fecit, interrogante Episcopo his verbis:

Fili caríssime, coram pópulo curæ tuæ tradéndo rénova propósitum quod in tua ordinatióne proféssus es.
Vis munus tuum, ut probus Episcopórum órdinis cooperátor, in pascéndo grege domínico, duce Spíritu Sancto, indesinénter explére?
℟. Volo.

Vis mystéria Christi ad laudem Dei et sanctificatiónem pópuli christiáni, secúndum Ecclésiæ traditiónem pie et fidéliter celebráre?
℟. Volo.

Vis ministérium verbi, in prædicatióne Evangélii et expositióne fídei cathólicæ, digne et sapiénter explére?
℟. Volo.

Vis Christo summo Sacerdóti, qui seípsum pro nobis hóstiam puram óbtulit Patri, árctius in dies coniúngi et cum eo teípsum pro salúte hóminum Deo consecráre?
℟. Volo, Deo auxiliánte.

Promíttis mihi et successóribus meis, reveréntiam et obœdiéntiam?
℟. Promítto.

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

1194. Deinde processio pro opportunitate instrui potest cum turiferario, cruce, candelis et ministris, qua Episcopus, circumiens ecclesiam, parocho committit loca quæ eius ministerio sacranda erunt: sedem præsidis, sacellum Ss.mi Sacramenti, baptisterium, sedem confessionalem, prout transeundo inveniuntur. Potest etiam invitare parochum ut aperiat ostium tabernaculi et Sacramentum incenset. Item incensatio fieri potest ad baptisterium. Præterea, si commode fieri potest, invitet parochum ut sonet campanam.

Quæ omnia tamen, pro rerum adiunctis, fieri possunt etiam ante Missam.

1195. In oratione universali proferatur intentio specialis pro Episcopo et novo parocho.

1196. Ad ritum pacis, aliquibus fidelibus qui communitatem parœcialem repræsentent, parochus ipse pacem det.

1197. Dicta oratione post Communionem, parochus ab Episcopo invitatur ut communitatem breviter alloquatur.

1198. Laudabiliter parochus cum Episcopo et populo cœmeterium adeunt, ibique pro fidelibus defunctis preces fundunt, servatis pro opportunitate iis quæ de aspersione sepulcrorum supra nn. 399 ss. dicuntur.

APPENDICES

APPENDIX I

DE VESTIMENTIS PRÆLATORUM *

I. De vestimentis Episcoporum

De vestimentis choralibus

1199. Episcopus semper defert anulum, insigne fidei et coniunctionis nuptialis cum Ecclesia sponsa sua (cf. supra n. 58).

Vestis choralis Episcopi tam in diœcesi quam extra diœcesim constat: talari veste violacei coloris; zona serica violacea, cum laciniis item sericis duas extremas partes exornantibus (non tamen cum flocculis); rocheto e lino similive e textili; mozeta violacei coloris (sine cucullo); cruce pectorali sustentata super mozetam funiculo coloris viridis auro intertexto; pileolo item coloris violacei; bireto eiusdem coloris cum flocculo. Violacea etiam tibialia adhibentur.

1200. Magna cappa violacea, sine hermellino, in diœcesi tantum et sollemnissimis festivitatibus adhiberi potest.

1201. Calcei sint usuales, nigri coloris, sine fibulis.

1202. Vestes supra dictæ ab Episcopo adhibentur quoties publice incedit aditurus ecclesiam vel ab ea recedit, quando liturgiæ vel sacræ actioni præsens est quin præsideat, et aliis in casibus hoc in Cæremoniali prævisis.

De vestibus in sollemnibus adiunctis extra celebrationes liturgicas

1203. Vestis Episcopi in sollemnibus adiunctis extra celebrationes liturgicas constat: talari veste nigri coloris torulo exornata, una cum limbis, suturis, ocellis et globulis e serico rubino, sine reflexu in manicis; super hanc vestem palliolum, torulo item exornatum, deferre licet; zona serica violacei coloris cum laciniis item sericis duas extremas partes exornantibus; cruce pectorali catella sustentata; pileolo et collari violacei coloris.

* Ad normam Instructionis Secretariæ Status diei 31 martii 1969 et Litterarum circularium S. Congregationis pro Clero diei 30 octobris 1970: A.A.S. 61 (1969), pp. 334-340; 63 (1971), pp. 314-315.

Usus tibialium violacei coloris prorsus liber est.

Petasus e nigro gausapo, si casus fert, chordulis flocculisque viridis coloris exornari potest.

Ad sollemniora adiuncta reservatur usus perampli talaris pallii e serico violacei coloris.

Super has vestes deferri potest decorum nigri coloris pallium, cui adicere palliolum licet.

De vestimentis usus cotidiani

1204. Vestis communis, seu cotidiani usus, potest esse talaris nigra, torulo violaceo non ornata. Episcopi ex religiosis familiis adhibere possunt habitum suæ religionis. Una cum hac talari veste, tibialia nigra adhibentur; collare et pileolum necnon zona violacei coloris deferri possunt. Crux pectoralis catella sustentatur. Anulus semper deferatur.

II. De vestimentis Cardinalium

1205. Omnia quæ supra de vestimentis Episcoporum dicta sunt valent etiam pro Cardinalibus iis servatis quæ sequuntur:

a) ea quæ sunt violacei coloris pro Episcopis sunt rubri coloris pro Cardinalibus;

b) zona, pileolum et peramplum talare pallium sunt ex undulato serico;

c) funiculus ad pectoralem crucem sustentandam et cordulæ flocculaque petasi sunt rubri et aurei coloris;

d) biretum, ex ondulato serico rubri coloris, una tantum cum chorali veste, non autem pro communi capitis tegumento, adhiberi potest.

III. De vestimentis aliorum Prælatorum

1206. Prælati iure Episcopis diœcesanis æquiparati, etsi episcopali dignitate carent, easdem vestes ac Episcopi induere possunt.

1207. Prælati Superiores Dicasteriorum Curiæ Romanæ dignitate episcopali non aucti, Auditores Sacræ Romanæ Rotæ, Promotor generalis iustitiæ et Defensor vinculi in Supremo Tribunali Apostolicæ Signaturæ, Protonotarii Apostolici de numero, et clerici Cameræ Apostolicæ:

a) Pro habitu chorali gestant vestem talarem violacei coloris cum zona violacea laciniis sericis ornata, rochetum, manteletum violaceum et biretum nigrum cum flocco rubro;

b) In sollemnibus adiunctis extra liturgiam gerunt vestem talarem nigram cum torulo ceterisque ornamentis rubini coloris sine palliolo, zonam violaceam ut supra, peramplum talare pallium violacei coloris (quod tamen non necessario est adhibendum). Tibialia sint nigra et calceamenta usualia absque fibulis.

1208. Protonotarii Apostolici supra numerum et Prælati honorarii Sanctitatis Suæ:

a) Pro habitu chorali gestant vestem talarem violacei coloris cum zona serica eiusdem coloris, laciniis ornatam, superpelliceum non crispatum et biretum nigrum cum flocco nigro;

b) In sollemnibus adiunctis extra celebrationes liturgicas gestant: vestem talarem nigram cum torulo ceterisque ornamentis rubini coloris sine palliolo, et zonam violaceam, ut supra. Pallium talare violacei coloris, etsi non præcipitur, servant Protonotarii Apostolici supra numerum, non autem Prælati honorarii.

1209. Cappellani Sanctitatis Suæ, sive pro habitu chorali sive in sollemnibus adiunctis extra celebrationes liturgicas, gerunt vestem talarem nigram cum torulo ceterisque ornamentis et serica zona violacei coloris. Pro habitu chorali, super vestem talarem induunt superpelliceum.

IV. De vestimentis Canonicorum

1210. In celebrationibus liturgicis, pro habitu chorali, canonici qui non sint Episcopi, supra vestem talarem quæ ipsis competit, induunt tantummodo superpelliceum et mozetam nigram vel cinericeam cum torulo violacei coloris; beneficiarii autem tantummodo superpelliceum et mozetam nigram vel cinericeam.

Extra celebrationes liturgicas, vestimentis induuntur quæ ipsis pro sua condicione spectant.

APPENDIX II

TABULA DIERUM LITURGICORUM
secundum ordinem præcedentiæ disposita

I

1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.

2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes.
Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ.
Feria IV Cinerum.
Feriæ Hebdomadæ sanctæ, a feria II ad feriam V inclusive.
Dies infra octavam Paschæ.

3. Sollemnitates Domini, beatæ Mariæ Virginis, et Sanctorum in calendario generali inscriptæ.
Commemoratio omnium fidelium defunctorum.

4. Sollemnitates propriæ, nempe:
a) Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis.
b) Sollemnitas dedicationis et anniversarii dedicationis ecclesiæ propriæ.
c) Sollemnitas Tituli ecclesiæ propriæ.
d) Sollemnitas aut Tituli,
aut Fundatoris,
aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis.

II

5. Festa Domini in calendario generali inscripta.

6. Dominicæ temporis Nativitatis et dominicæ « per annum ».

7. Festa beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum calendarii generalis.

8. Festa propria, nempe:
a) Festum Patroni principalis diœcesis.
b) Festum anniversarii dedicationis ecclesiæ cathedralis.
c) Festum Patroni principalis regionis aut provinciæ, nationis, amplioris territorii.
d) Festum Tituli, Fundatoris, Patroni principalis Ordinis seu Congregationis et provinciæ religiosæ, salvis præscriptis sub n. 4.

e) Alia festa alicui ecclesiæ propria.

f) Alia festa inscripta in calendario cuiusque diœcesis vel Ordinis seu Congregationis.

9. Feriæ Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive.
Dies infra octavam Nativitatis.
Feriæ Quadragesimæ.

III

10. Memoriæ obligatoriæ calendarii generalis.

11. Memoriæ obligatoriæ propriæ, nempe:

a) Memoriæ Patroni secundarii loci, diœcesis, regionis aut provinciæ religiosæ.

b) Aliæ memoriæ obligatoriæ inscriptæ in calendario cuiusque diœcesis, vel Ordinis seu Congregationis.

12. Memoriæ ad libitum, quæ tamen, modo quidem peculiari in Institutionibus generalibus Missalis Romani et de Liturgia Horarum descripto, fieri possunt etiam diebus de quibus sub n. 9.

Hac eadem ratione, ut memoriæ ad libitum celebrari possunt memoriæ obligatoriæ, quæ accidentaliter occurrunt in feriis Quadragesimæ.

13. Feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive.

Feriæ temporis Nativitatis a die 2 ianuarii ad sabbatum post Epiphaniam.

Feriæ temporis paschalis a feria II post octavam Paschæ ad sabbatum ante Pentecosten inclusive.

Feriæ « per annum ».

APPENDIX III

TABULA PRO MISSIS RITUALIBUS, PRO VARIIS NECESSITATIBUS, VOTIVIS ET DEFUNCTORUM

Sigla

V1 = Missæ rituales (Missale Romanum, *Institutio generalis,* n. 330). Missæ pro variis necessitatibus et votivæ, de mandato vel licentia Ordinarii loci, occurrente graviore necessitate vel utilitate pastorali (*Ibidem,* n. 332).

V2 = Missæ pro variis necessitatibus et votivæ de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius celebrantis, si vera necessitas vel utilitas pastoralis id postulet (*Ibidem,* n. 333).

V3 = Missæ pro variis necessitatibus et votivæ pro pietate fidelium eligendæ a sacerdote celebrante (*Ibidem,* n. 329 b et c).

D1 = Missa exsequialis (*Ibidem,* n. 336).

D2 = Missæ post acceptum mortis nuntium, in ultima sepultura defuncti et in primo anniversario (*Ibidem,* n. 337).

D3 = Missa « cotidiana » (*Ibidem,* n. 337). Quando prohibentur D1 et D2, etiam D3 evidenter prohibetur.

\+ = permittuntur

— = prohibentur

1. Sollemnitates de præcepto	V1 D1	— —				
2. Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ	V1 D1	— —				
3. Triduum paschale et Feria V Hebd. S.	V1 D1	— —				
4. Sollemnitates non de præcepto. Comm. omnium fidelium defunctorum	V1 D1	— +				
5. Feria IV Cinerum, Feriæ II, III, IV Hebd. S.	V1 D1	— +				
6. Dies infra octavam Paschæ	V1 D1	— +				
7. Dominicæ temporis Nativitatis et « per annum »	V1 D1	+ +	V2 D2	— —		
8. Festa	V1 D1	+ +	V2 D2	— —		
9. Feriæ Adventus a 17 ad 24 decembris	V1 D1	+ +	V2 D2	— +		
10. Dies infra octavam Nativitatis	V1 D1	+ +	V2 D2	— +		
11. Feriæ Quadragesimæ	V1 D1	+ +	V2 D2	— +		
12. Memoriæ obligatoriæ	V1 D1	+ +	V2 D2	+ +		
13. Feriæ Adventus usque ad 16 decembris	V1 D1	+ +	V2 D2	+ +		
14. Feriæ temporis Nativitatis a 2 ianuarii	V1 D1	+ +	V2 D2	+ +		
15. Feriæ temporis paschalis	V1 D1	+ +	V2 D2	+ +		
16. Feriæ « per annum »	V1 D1	+ +	V2 D2	+ +	V3 D3	+ +

INDICES

INDEX RERUM NOTABILIUM

Numeri ad currentes numeros Cæremonialis Episcoporum sunt referendi.

ABACUS

Super *abacum:* deponi possunt candelabra in processione delata, 129; deferri potest liber Evangeliorum post proclamationem factam, 141; peragi potest calicis præparatio, 147 (nota 14); peraguntur purificationes patenæ, pyxidis et calicis, 165; ponitur Lectionarium in dedicatione ecclesiæ, 895.

ABBAS

Significatio et munus in Ecclesia, 667.
Utitur: Cruce pectorali, 676; baculo pastorali, 677, c; 678; anulo 677, d; 678; mitra, 677, d; 678.
In benedictione: procumbit dum canuntur litaniæ, 685; genuflexus manet ante Episcopum dum iste profert orationem benedictionis, 686; accipit ab Episcopo Regulam ac insignia, 687; concelebrat, 690; in fine benedicit, si præfuit, 692.

Cf. *Benedictio Abbatis.*

ABBATISSA

Significatio et munus in Ecclesia, 694.
Utitur: anulo, 709.
In benedictione: procumbit, si mos est, dum canuntur litaniæ, 706; genuflexa manet ante Episcopum dum iste orationem benedictionis profert, 707; accipit ab Episcopo Regulam et anulum, nisi hunc iam receperit, 708-709; Communionem sub utraque specie recipere potest, 712; si casus fert, conducitur ab Episcopo ad sedem suam in choro, 714.

Cf. *Benedictio Abbatissæ.*

ABRENUNTIATIO

In liturgia baptismali: in Vigilia paschali, 361; in Ordine simpliciore Initiationis christianæ adultorum, 430; in Baptismate parvulorum, 442.

Cf. *Professio fidei; Renovatio.*

ABSOLUTIO

Modus absolvendi: *singulos* in Ordine Pænitentiæ forma sollemniore celebrato, 629; *plures simul,* 638.

Acceptio personarum

Vitanda, 598; præsertim in celebrandis exsequiis, 823; in sacramentis initiationis christianæ, 405; in matrimoniis, 598.

Cf. tamen *Auctoritas civilis.*

Acclamatio

Quomodo proferenda, 116.
Acclamationes: in celebratione Missæ stationalis, 136; 137; 141; 152; 155; 158; 160; 167; in fine benedictionis eucharisticæ, 394; 1114; ad Crucem venerandam, 1021; in Episcopi receptione, 1143; in pallii impositione, 1152.

Acolythus

Ad quid instituitur, 28; 808.
In ministerio altaris partes proprias habet, 27; servitium altaris curat per se vel per alios, 28.
In celebrationibus quibus Episcopus præest ministrat, 28; induens albam, vel superpelliceum super vestem talarem, vel alias vestes legitime probatas, 65; diaconos adiuvans, 28; 808.
Ipsi competit: librum, crucem, cereos, turibulum deferre 28; 808; 818; etiam in Horarum Liturgia, 193; 215.
Qua minister extraordinarius Eucharistiæ, Communionem distribuit, 28; 808; 820; et Sacramentum exponit, 808.
In Missa suæ Institutionis propria ministeria iam exercet, 818; 820; Communionem recipit post diaconos, 819.

Cf. *Institutio.*

Actum, acta

In *acta* referri debet ostensio ac lectio Litterarum Apostolicarum in Episcopi ordinatione, 573; vel receptione, 1143.
Quot *acta* et quomodo conficienda: in dedicatione ecclesiæ, 877; altaris, 932; in benedictione ecclesiæ, 955; cœmeterii, 1056.

Actus pænitentialis

In Missæ celebratione ad *actum pænitentialem* Episcopus invitat, invocationes tertiæ formulæ proferre potest, ac denique concludit, 132; modo et formula peculiari quando in fine Missæ impertit benedictionem apostolicam, 1123.
Omittitur quando in Missa dominicali habetur aspersio, 79; 112; 133; in festo Præsentationis Domini, 247; in feria IV Cinerum, 255; in dominica in palmis de Passione Domini, 271; in Missa in qua celebratur Baptismus parvulorum, 437; Episcopus recipitur, 1143; vel ei pallium imponitur, 1155.
Ad Completorium, pro conscientiæ discussione, haberi potest, 219.

Administrator diœcesanus

1129; 1166.

Admissio

Ritus *admissionis* inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum. Quo tendat, 479; quando et a quo celebratur, 480; quo die, 481.
Celebratur vel intra Missam vel in celebratione verbi Dei, 482; 484; quibusdam celebrationibus non est coniungendus, 481.
Formularia et lectiones adhibenda: pro Missa, 483; pro verbi Dei celebratione, 484.
Vestes sacræ ab Episcopo adhibendæ, 482.
Partes ritus: candidatorum præsentatio, 486; interrogationes ab Episcopo faciendæ, 487; propositi acceptio, 487; oratio Episcopi super candidatos, 488; dimissio, 489.
Qui ritu non tenentur, 479.

Admonitio

Quomodo proferenda, 116.
Cf. *Monitio, Homilia.*

Adoratio

Genuflexione significatur, 69.
Adoratio Ss.mi Sacramenti, non neglegenda, 71; occasione Expositionis, cf. *Expositio;* facienda post repositionem peracta Missa in Cena Domini, 309; 311; in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi ante processionem, 387.
Adoratio sollemnis sanctæ Crucis, 69; feria VI in Passione Domini, 321-323.

Adunatio

Sub Episcopi sacro ministerio symbolum est caritatis et unitatis, 18; in diversas partes diœcesis aliquoties indicanda ad episcopalem liturgiam, 13.
Cf. *Fideles; Congregatio.*

Adventus

Adventus Episcopi ad ecclesiam, 79.
Tempus Adventus: sensus in anno liturgico, 227; 234; eius indoles, 235; celebrationes: dominicarum, 228; in aliquibus feriis commendatur celebratio verbi Dei, 223. De celebratione Matrimonii, 236.
Color rosaceus in tertia dominica, 236.
Musica instrumenta adhibenda ad cantum sustentandum, 41; 236.
Floribus altare moderate ornandum, 236.

Alba

Vestis sacra communis omnibus ministris cuiusvis gradus, 65.
Induitur etiam a presbytero qui Evangelium proclamat et altari inservit, si non concelebrat, 172.
Indui potest: ab Episcopo præsidente qui Eucharistiam tamen non celebrat, 176; a magistro cæremoniarum, 36.
Quomodo induenda et quando cum superpelliceo super vestem talarem commutari potest, 65.

ALLOCUTIO

Ad allocutiones faciendas Episcopus de more utitur mitra, 60.

Allocutiones: Episcopi, in celebranda Confirmatione, 462; in Admissione inter candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum, 485; in Ordinationibus, diaconorum, 502; 503; 548-549; presbyterorum, 526; 548; Episcopi, 578; in benedictione Abbatis, 683; Abbatissæ, 704; in consecratione virginum, 728; in professione perpetua religiosorum, 756; religiosarum, 777; in institutione lectorum, 799; acolythorum, 814.

Episcopi ordinati in die Ordinationis, 595; in die receptionis, 1144.

Novi parochi, in eius introductione, 1197.

ALTARE

Eius natura, 918; ministerium *altaris* diverso modo spectat, Episcopo, 24; presbyteris, 24; diaconis, 24; 122; 478; acolythis, 27; 28.
Quale esse debet, fixum vel mobile, 48; 919; 972-974; dedicatum vel benedictum, sed aliquando nec benedicendum nec dedicandum, 968; unicum, sed in quibusdam ecclesiis aliud exstrui et dedicari potest, 48; de more sine tabernaculo, 49.
Quando non sit versus populum, quo modo proferendæ monitiones, 25.

Altaris dedicatio, Cf. *Dedicatio.*

Altaris benedictio, Cf. *Benedictio.*

Altaris salutatio: quomodo et quando facienda, 72; 77; qua inclinatione, 68.

Altaris veneratio: initio Missæ, 130; 131; 178; omittenda occasione ingressus in ecclesiam dedicandam, 885; vel benedicendam, 961; vel violatam reparandam, 1082; 1084; item occasione dedicationis altaris tantum, 936; facienda initio Laudum et Vesperarum, 195; 196; ante Evangelii proclamationem, 140; in fine Missæ, 170; 185; in fine Laudum et Vesperarum, 208.

Altaris incensatio: in ecclesiæ et altaris dedicatione, 905; modus turificandi, 93; ulla inclinatione facta ante vel post incensationem, 91; in Missæ celebratione: initio et post donorum præsentationem, 86; 131; 149; 178; ad Laudes et Vesperas, dum canitur canticum evangelicum, 89; 204.

Altaris aspersio, occasione dedicationis, 893; occasione ritus pænitentialis, 1086.

Altaris illuminatio, occasione dedicationis, 906-907.

Super *altare:* deponitur liber Evangeliorum, 129; collocatur pallium in Missa in qua primo imponitur, 1150; instrumentum professionis signatur, 732; 760; 781; quid collocandum ad liturgiam eucharisticam, 145; non deponantur vero Sanctorum reliquiæ, 921.

Altaris ornatus: quid et quomodo moderandus, 48; 236; 252; omittendus, in ecclesiæ dedicatione vel benedictione, 873; 958; pro Actione liturgica in Passione Domini, 314; pro exsequiis, 824.
Altaris denudatio: post Missam in Cena Domini, 310; post Actionem liturgicam in Passione Domini, 331; in ecclesia violata, 1071.

Cf. *Tobalea.*

AMBO

Adesse debet in ecclesia cathedrali, 51.
Quis ascendens *ambonem* munus suum adimplet, quis vero non, 51.

Ex *ambone* proferuntur:

in Missæ celebratione, lectiones prima et secunda, 137; 139; psalmus inter lectiones, 138; Evangelium, 74; 140; 141; intentiones orationis universalis, 144; 320;
in Liturgia Horarum, lectiones, 199; precum intentiones, nisi aliud locum convenientius sit, 205;
publicatio festorum mobilium, in die Epiphaniæ, 240;
præconium paschale, 345;
Litteræ apostolicæ in Episcopi Ordinatione vel receptione, 573; 1143;
Mandatum apostolicum in pallii impositione, 1152.

AMICTUS

Quando cum alba adhibendus, 65.

ANGELUS, ANGELI

Titulus ecclesiæ esse potest, 865.

ANNIVERSARIUS DIES

Dedicationis ecclesiæ cathedralis, 45; 878; propriæ ecclesiæ, 878.
Ordinationis Episcopi, 1167.
Defunctorum, 395.
Ultimi Episcopi defuncti, 1168.

ANNUNTIATIO DOMINI, SOLLEMNITAS

In recitatione symboli ad verba *Et incarnatus est* omnes genuflectunt, 143.

ANNUNTIATIONES AD POPULUM

Si habendæ, fieri debent oratione post Communionem peracta, 168.

ANNUS

Tempus « *per annum* »: quid recolat, 377; quando incipit et explicit, 378; quomodo celebrantur eius dominicæ, 379-380.

ANNUS LITURGICUS

Quid recolat, explicet, celebret, 227; qua vi efficacia polleat, 231; quomodo celebrandus, 231; 232; in præcipuis diebus *anni liturgici* prævidenda liturgia episcopalis, 13;
Fastigium *anni liturgici* Pascha celebratur, 295; 334.

ANTIPHONA

In celebratione Liturgiæ Horarum inchoatur a cantore, 198; 214.

ANTIPHONA B. MARIÆ VIRGINIS

Completorium concludit, sine oratione, 220.

ANTISTITA RELIGIOSA

In virginum consecratione et religiosarum professione: laudabiliter interest processioni introitus, 724; 774; locum obtinet in presbyterio, 823, c; 773, d; recipit vota, 732; 770; 781; aptis verbis vel pacis signo significare potest professis aggregationem Instituto, 737; 785.

ANULUS

Episcopi: est pontificale insigne, 57; cuius sit signum, 58; 588; quando benedicendus, 569; primo in Ordinatione immittitur, 568, e; 588; et semper defertur, 58; 1199; 1204; excepta Actione liturgica de Passione Domini, 315, a.

Abbatis: quando benedicendus, 678; traditur in Abbatis benedictione, 677, d; 687.

Anulus detrahi potest ad manuum lotionem in celebrationibus liturgicis, 150.

Abbatissæ: quando tradendus in benedictione, 700, c;

Virginis: 723, b; traditur in consecratione, 734.

Religiosæ: tradi potest in professione perpetua, 784.

Sponsorum: in celebratione Matrimonii, 601; quis benedicat, tradat, in digitum inserat, 608; 617.

APPELLATIO

Ritus quo nominatim vocantur: religiosi professuri, 755; religiosæ professuræ, 776; candidati ad lectoratum, 798; et ad acolythatum, 813.

Cf. *Præsentatio, Postulatio.*

AQUA

Aqua benedicenda: in actu pænitentiali Missæ, 125, a; in dedicatione ecclesiæ, 873, b; et altaris, 929, c; in benedictione ecclesiæ, oratorii, sacelli, 958, a; in ritu pænitentiali ad ecclesiam violatam reparandam, 1074, b; 1085-1086.

Cf. *Benedictio aquæ.*

Aqua benedicta: paranda in bacili prope ianuam ecclesiæ ad seipsum signandum, 110; *porrigenda* Episcopo non parato ecclesiam ingredienti, nisi in Missa loco actus pænitentialis aspersio sit facienda, 111-112; porrigenda ab Episcopo Moderatori Reipublicæ catholico, 82; *aspergenda:* in Vigilia paschali, 113; 369; in dedicatione ecclesiæ, 113; 892; in benedictione ecclesiæ, oratorii, sacelli, 964; in benedictione cœmeterii, 1064; in primarii lapidis impositione pro nova ecclesia, 846, d; in exsequiis, 822, b; 833; super res quæ benedicuntur, 114; aulos, in Matrimonii celebratione, 608; candelas, in Præsentatione Domini, 245; cineres, in feria IV Cinerum, 256; ramos, in Dominica in palmis de Passione Domini, 267; campanam, in campanæ benedictione, 1025; 1030; coronam, vel coronas, in coronatione imaginis b. Mariæ Virginis, 1038.

Cf. *Aspersio; Baptismus; Lotio.*

ARCHIEPISCOPUS RESIDENTIALIS

Utitur: pallio et cruce archiepiscopali, 62.
Cum deducitur ad ecclesiam post crucem procedit, 79.

AROMATA

Infundenda in oleum ad conficiendum chrisma, 278, a; 289; comburenda super altare in dedicatione, 873, b; 929, i; 905; 947.

ARS

Leges *artis* in ornatu ecclesiæ servandæ: 38; 48.
Artis pretiosa opera attente custodienda, 47; 48.

ASCENSIO, SOLLEMNITAS

Locus in anno liturgico, 227; sensus, 375.
In sollemnitate Ascensionis, peragi nequit ecclesiæ dedicatio, 868.

ASPERSIO

Fit capite detecto, 79.

Aspersio populi: fieri potest in Missa loco actus pænitentialis 79; quomodo fiat, 133; fit post renovationem promissionum baptismalium, in Vigilia paschali, 113; 369; in benedictione fontis, 1007; in ecclesiæ dedicatione, 113; 893; in altaris dedicatione, 938; ecclesiæ benedictione, 964; in ritu pænitentiali ad ecclesiam violatam reparandam, 1086; in cœmeterii benedictione, 1064; in Episcopi receptione, 1142; in visitatione pastorali, 1180.

Aspersio corporis defuncti: in ultima commendatione, 834; ante tumulationem, 836.

Aspersio rerum quæ benedicuntur: candelarum in festo Præsentationis Domini, 245; cinerum feria IV Cinerum, 256; ramorum in dominica in palmis de Passione Domini, 267; sepulcrorum in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, 399; in cœmeterii visitatione, 1184; 1198; anulorum in celebratione Matrimonii, 608; areæ ecclesiæ ædificandæ, 858; primarii lapidis ecclesiæ, 860; parietum ecclesiæ, 893, 964; 1086; altaris, 893; 938; 964; 980; 1086; campanarum, 1030; coronæ vel coronarum imponendarum imagini b. Mariæ Virginis, 1042; 1047; areæ cœmeterialis, 1064.

ASPERSORIUM

Episcopo porrigendum: a prima dignitate Capituli vel a rectore ecclesiæ in receptione, 1142; a digniore e presbyteris quando recipitur pro aliqua celebratione, 79; 111; a parocho in visitatione pastorali, 1180.

ASSISTENS, ASSISTENTES

Episcopus habet *assistentes* sive præsideat sive tantum celebrationi participet, 80-81; quibus pacem tribuit etsi non celebrat, 100.

Cf. *Diaconus; Presbyter.*

ATTENTIO

Ad actuosam participationem requiritur interna animi *attentio,* 12.
In ecclesia sponte ad altare *attentio* converti debet, 48.

Cf. *Participatio.*

AUCTORITAS CIVILIS

Honor ipsi tributus non est acceptio personarum, 823.
Si ex officio celebrationibus liturgicis participat incensatur tribus ductibus, 92.
Novo Episcopo in die receptionis auctoritas civilis manifestare potest obœdientiam et reverentiam, 1143.

Cf. *Moderator Reipublicæ; Magistratus.*

AUXILIARIS EPISCOPUS

A quo ordinari potest et ubi, 1137; præsentari populo debet, 1148.

BACILE

Una cum aquæ urceo et mantilibus parandum: pro Missa, 125, a; pro Baptismate parvulorum, 431; pro Confirmatione, 457, e; pro Ordinatione presbyterorum, 520; Episcopi, 586; pro Unctione infirmorum, 649, c; pro dedicatione ecclesiæ, 873, b; altaris, 929, g;

Cf. *Lotio manuum.*

In Missa in Cena Domini, pro pedum lotione, 299, b.

BACULUS PASTORALIS

Pontificale insigne est, 57; signum pastoralis muneris, 59; 588; 677; quando benedicendus, 569; 678; primo in Ordinatione traditur, 568, f; 588; vel in benedictione Abbatis, 687.
Modus ferendi *baculum*, 59; in processione Ss.mi Sacramenti, 391; 1101.

Ab *Episcopo* usurpatur: in proprio territorio, 59; alibi de consesu Episcopi loci, 59; in celebrationibus etiam non sollemnibus, si adiuncta suadeant, 173; non autem adhibetur: in Actione liturgica de Passione Domini, 315, a; quando assumit tantum crucem et stolam supra rochetum et mozetam, 482; 793; 804; 850; 853.

In celebrationibus assumitur: ad incendendum de loco in locum, præsertim in processionibus, 59; 1101; 128; 192; si vero exiguum spatium intercedit, licet non assumere, 60; ad lectionem Evangelii audiendam, 59; ad prædicandum, nisi aliter videatur, 17; 59; ad excipienda vota, 59; promissa, 59; ad proclamandam electionem catechumenorum, 417; ad fidei professionem, 59; 143; ad benedicendas personas, 59; 206; 1120; nisi imponendæ sint manus, 169.
Non ponitur apud corpus Episcopi defuncti in expositione, 1160.

Quando plures Episcopi in eadem celebratione adsunt, ille qui præest tantum assumit *baculum*, 59.

Ab *Abbate* usurpatur: in propria dicione, 677.

BALDACHINUM

Super cathedram non ponendum, 47.
In processione Ss.mi Sacramenti adhiberi potest, si consuetudo adest, 388, b; 391.

BAPTISMA DOMINI, FESTUM

In dominica celebratur, 228.

BAPTISMUS

Collatio *Baptismi*, confert participationem regali sacerdotio Christi, 7; 404; regitur ab Episcopo diœcesis, 7; 404; habenda est nocte paschali in ecclesia cathedrali, 52; 355; tempore paschali celebrari debet aqua in nocte paschali benedicta, 372.

Cf. *Vigilia paschalis; Initiatio christiana; Benedictio, fontis baptismalis.*

Baptismus parvulorum

Quid parandum, 431; 433.

Episcopo præsidente, qui ritus presbyter peragere debeat, 432; 436.

Intra Missam:

color paramentorum, 433;
ritus receptionis, 436;
quid in Missa omittatur, 437; 438;
oratio exorcismi et unctio præbaptismalis, 439;
processio ad baptisterium, quando facienda, quo ordine, quibusque cantibus, 440;
aquæ benedictio, 441;
interrogationes, 442;
baptismus, 443;
ritus explanativi, 444;
processio ad altare, quando facienda et quo ordine, 445;
ceteri Missæ ritus, 446-448.

Extra Missam:

sacræ vestes, 449;
ingressus Episcopi, salutatio populi, ritus receptionis, 450-451;
liturgia verbi, 452;
recitatio orationis dominicæ, 453;
benedictio, 454;
canticum: Magnificat, 454.

Memoria *Baptismi* renovatur signo crucis manu intincta in aquam benedictam, 110.

Cf. *Aspersio.*

BAPTISTERIUM

Quid hoc nomine intellegatur, 995.

Habendus in ecclesia cathedrali, etiamsi non sit parœciali, 52; ita ut in baptisterio celebrari possit baptismalis liturgia in Vigilia paschali, 356; et in aliis adiunctis, 440.

Quomodo instruendum, 52; 995.

Committendum novo parocho in eius introductione, 1194.

Cf. *Fons baptismalis.*

BEATUS

Quo pacto assumi possit nomen Beati ad ecclesiam dedicandam, 865.

BENEDICTIO, BENEDICTIONES

Ministerium *benedictionis*, 1116.

Quibus benedictionibus convenienter Episcopus præsideat, 1116; 1127; quibus vestibus et insignibus, 1127; quibus assistentibus, 1128.

Celebratio typica *benedictionis*, 1117; ad quid attendendum, 1117; quid in celebratione Episcopus sibi reservare potest, 1128.

Modus tenendi manum sinistram, quando signum crucis adhibetur, 108.
De usu aquæ benedictæ, 114.

BENEDICTIONES PERSONARUM:

